HISTORIA

JURIS ROMANI.

PRINCIPIA
JURIS ROMANI

scripsit

WENCESLAVS ALEXANDER MACIEIOWSKI

J. U. D.

Lycei et Universitatis Literariae Regiae Varsaviensis Professor.

VARSAVIAE
Ex Officina Publica MDCCCXX.

Addenda et corrigenda.

Pagina 4. vers. 2. 12 et 25. pro: *didicendum*, lege: discendum.

P. 7. v. 7. post: *nascitur*, suppleantur reliqua ex Savignii libro Geschichte des R. Rechts im Mitel Alter T. I. p. 1.

P. 9. v. 16. usi sumus verbo *practica*, quod etsi semibarbarum est, optime tamen denotat artem, quam pragmatici JCti exercent.

P. 10. v. 12. pro: *a variis locutum sit*, lege: *locuti sint varii.*

P. 11. v. 19. ad ea, quae de methodo Savigniana juris docendi dixi, observa, solere illum ea uti in scholis, quas de jure Romano habet.

P. 11. v. 20. 21. pro: *de origine juris Romani ejusque*, lege: *de fontibus juris Romani eorumque.*

P. 12. v. 13. Dixi me fragmenta legum antiquarum quae ad Historiam juris conferant illustraturum, quod de praecipuis intellige, cum reliquae possint conferri apud Hauboldum in libro: Institutiones juris Romani Literariae T. I. Lipsiae 1809. Parte II. eaque Bibliographica.

Jbid. v. 23. post verbum habet, suppleantur ea que apud Hauboldum l. l. §. 107. inveniuntur.

P. 12. v. 24. cf. Hauboldus l. l. §. 89.

P. 12. v. 28. post: *extant*, adde: *in Museo Herculanensi.*

P. 13. v. 12. adde: *Illustravit quoque Dirksen* (an. 1817) *fragmentum ejusdem Tabulae serius inventum.*

P 13. v. 17. cf. Saviguy l. l. T. I. pag. 35. Haubold. l. l. §. 88.

P. 13. v. 28. cf. Haubold. l. l. §. 107.

P. 14. p. 6. titulus libri a Marinio editi est hic: J Papiri diplomatici raccolti ed illustrati dall'Abbate Gaetano Marini in Roma 1803.

P. 16. v. 25. de libris Topicor. cf. mea dissert Varsaviae h. a. (1820) edita: *in M. T. Ciceronis Topica Animadversiones.*

P. 17. v. 22. adde: De Ephemeridibus denique criticis et Annalibus literariis cf. Hauboldus l. l. §. 12. De scriptoribus Miscellanei argumenti idem l. l. §. 15. addimus titulum libri, (qui ibi desideratur) quem saepe citavimus: Zeitschrift für Geschichtliche Rehtswissenschaft herausgegeben von F. C. Savigny, Eichhorn, und J. F. L. Goeschen Berlin 1815--1819. Tomi III. et Tomi IV. Pars I. et II:

P. 19. v. 1. pro *Nec multum post*, lege: Nec minus.

P. 19. v. 9. adde: *Reliquorum scripta, qui Historiam juris Romani enarraverunt, recensentur a Hauboldo l. l. §. 14.*

P. 19. v. 19. titulus libri Reitemejeriani est: Encyklopaedie und Geschichte der Rechte in Deutschland. Gött. 1785. 8vo.

P. 20. Cum ordo chronologicus epocharum turbatus sit in libro, hic denuo eum conscribimus. Periodus I. ab anno 1--300 U. C. sive 750--450 ante Chr. n. II. ab a. 300--650. U. C. sive 450--100. ante. Chr. III. ab an. 650--1000 U. C. sive 100--250 post Chr. n. IV. ab a. 1000--1300 U. C. sive 250--550 p. Chr. n.

P. 34. v. 12. Desquiron non est Professor Parisiensis, sed Academiae Paris. scientiar. adscriptus

P. 36. v. 7. pro: *quianquagesimo anno*, lege *decimo septimo anno*.

P. 43. v. 11. Reliqua de Comment. in leges XII. Tabular. vid. apud Hauboldum l. l. §. 111 in notis.

P. 44. v. 15. post verbum *Savignii*, adde Zeitschrift etc. T. II. p. 432. *sqq*.

P. 49. v. 20. post verbum *constat* suppleautur ea que Savigny l. l. (Geschichte etc.) T. I. p. 16 *sqq*. nota 2. citat.

P. 51. v. 15. loco: *quanquam proprios Magistratus non habebant* lege: *habebant tam Senatum quam alios Magistratus*, *exceptis Duumviris*, *quorum vices gerebat Prefectus*. cf. Savigny l. l. Tomo I. p. 39. nota 61. 62. 63.

P. 51. v. 21. Reliqua quae hic referuntur vide apud Savignium l. l. T. I. p. 18. 19. De Magistratibus municipior. tractat idem Tomo I. p. 39. *sqq*. De Senatu ibid. p. 68. *sqq*.

P. 52. ad notam 79. cf. Savigny l. l. T. I. p. 51.

P. 54. ad notam 82: cf. idem l. l. T. I. p. 22. *sqq*.

P. 61. v. 12. 14. corrige: *edicta proposuisse eaque constituisse*.

P. 65. v. 6. Caetera de legibus v. apud Hauboldum l. l. §. 109 -- 115.

P. 71. v. 26. post verbum *Scriboniam* adde: non

P. 95. nota 113. pro §. 177. corrige §. 277.

P. 97. v. 20. De auctoribus qui tam pro, quam contra authentiam legis Regiae scripserunt cf. Hauboldus l. l. §. 94.

P. 100. v. 21. pro: vocaretur *Lex Cornelia de siccariis*, corrige: *inscriberetur titulus Pandectarum: ad Legem Corneliam de injuriis*.

P. 104. v. 28. post verbum duplici, adde: sub.

P. 111. v. 6. pro *scieberis* lege: *scriberis*.

P. 113. v. 8. pro Latinorum coloniarum, lege: coloniariorum.

P. 121. v. 11. pro *Antonio* lege: *Antonino*.

P. 122. v. 22, post verbum *princ.* adde: quae Savingny l. l. Tomo II. p. 6. protulit.

P. 125. v. 19. post: *Magistratuum* adde: quae Hauboldus l. l. §. 119. 120 profert.

P. 130. v. 30. pro *constasse*, lege: *constitisse*.

P. 131. v. 28. post verbum *Sent.* supple l. 15. §. 2.

P. 138. v. 13. cf. Savigny l. l. Tomo I. p. 395. Erant

autem scholae Juridicae tam in urbe Roma quam in provinciis institutae, ut adparet ex illis locis, quae citavi.

p. 144. v. 16. De civitate ab Antonino Caracalla omnibus largita cf. Savigny l. l. T. I. p. 62. *sqq*. T. II. p. 177. *sqq*.

p. 145 v. 19. post verbum placuit, suppleantur ea quae profert Savigny l. l. T. I. p. 35.

p. 145. v. 24. cf. quae de Magistratibus majoribus et minoribus Savigny l. l. T. I. p. 37. *sqq*. protulit.

p. 146. quae de nobilissimis JCtis in libro non citavi, relegantur apud Hauboldum l. l. §. 101. 103 121.

p. 159. v. 7. De aliis magistratibus cf. Savigny l. l. Tomo I. p. 23. 25. 26. *sqq*. 47. *sqq*. 59. *sqq*.

p. 166. De fontibus juris Romani Antejustinianei cf. Hauboldus l. l. §. 76--84. §. 96--98. §. 100--106.

p. 170. Doleo me, dum condebam meum librum, non habuisse ad manus celeberrimum opus Savignii toties a me laudatum. Fieri enim posset ut aliquanto accuratius explanata essent omnia, quae de Breviario Alariciano Corporibusque juris caeterorum Regum barbarorum disserui. Nonnulla itaque loca exscribere liceat, quae in primis ad illustrandos eos conferunt. I Ad Breviarium Alaricianum T. I. p. 91. Tom. II. p. 36. *sqq*. p. 41. *sqq*. Tom. I. p. 106. *sqq*. docet vir eruditissimus quam varia significet *Lex Romana*; quid sit *Lex Mundana* explicat T. I p. 112. T. II. praefat. XIV. Quid sit ex opinione illorum Barbarorum *Lex*, quid *Jus*, exponit l. l. Tomo II. p. 169. *sqq*. Tandem quae fuerint fata ejus libri T. II. p. 56. *sqq*. et (T. II. p. 62. *sqq*.) quae perficienda restent futuro editori ejusdem operis. II. Ad librum Papiani Responsa cf. ea que disseruit Tomo II. p. 9. *sqq*. T. II. p. 12. et Tomo II. p. 30. *sqq*. III. Ad Edictum Theodorici plurima lectu digna invenies l. l. Tomo I. p. 11. 12. Tomo II. p. 65. *sqq*. et praecipue Tomo II. p. 164. *sqq*.

p. 200. v. 17. De fatis jurisprud. R. disputat idem l. l. T. I. p. 100. 101. 104 *sqq*, T. II. p. 224. *sqq*.

p. 201. v. 5. post verbum: *gaudebant* supple ea que profert Savigny l. l. T. I. p. 98. 115. 118 T. II. p. 261. De Brachylogo cf. idem l. l. T. II. p. 238. 256. De Exceptionibus Petri l. l. Tomo II. p. 134. *sqq*.

p. 201. v. 16. post: tradebatur enim Romae, addendum erit: etiam sub Gothis viguisse jurisprudentiam Romanam (cf. Savigny l. l. T. I. p. 296. 399.) et, Juvenes solitos fuisse dare operam jurisprudentiae apud pragmaticos ICtos cf. Savigny l. l. T. I. p. 400. 401. Tomo II. p. 118. *sqq*.

pag 207. Observandum, optime disputatum esse a clariss. Warnkönig (in Thémis, ou Bibliotèque du jurisconsulte Paris 1819. T. I. Premiere Livraison) de statu jurisprudentiae in Germania nostra aetate.

p. 338. v. 8. cf. *Portalis* (in *conference du Code civil T. II p. 123.*) qui dicit: le contrat du mariage comme tous les autres contrats, ne pouvait etre rompu sans cause. *Male-*

ville (ibid. p. 126.) les Romains mettaient le contrat du mariage *sur la meme ligne que les autres contrats.* O boni homines, praeclarique legum perversores! cujus generis, dicite quaeso, contractum putasse Romanos matrimonium, somniatis? Utrum contractum consensu initum? qualis v. c. Locatio conductio est? vel, quod magis forsan vobis placet, contractum quendam incertum?

Cum mihi iam aliis laboribus occupato tempus ad totum opus relegendum, lapsusque operarum adnotandos haud suppetat, eos aequs peritusque Lector ut ipse emendet, rogo.

PRAEFAMEN.

De consilio Opusculi hujus conscribendi locutus sum alio loco (p. 167.). Quare neminem fore puto qui mihi succenseat, quod ea ratione hunc Libellum concinnare voluerim, ut libros ejus generis, quo Germania inundatur, accumularem. Movebat praeterea, quod desideraretur apud Nostrates hucusque liber, quo illustrata essent Prima Elementa jurisprudentiae Romanae, methodo historica, qua (ut alios taceam), uti solent in Scholis suis, JCtorum nostrae aetatis Principes, Savignius et Hugo. Quapropter res ipsa ferebat ut plurima ad condendum hunc Libellum ex Operibus Eorum sumerem, quod, ne a Malevolis plagii accusarer, semper indicavi. Omnia itaque, quae Lectoribus in Opusculo nostro placuerint, illis Celeberrimis Viris me debere, ingenue fateor.

Nunc paucis accipe, quomodo in universa re tractanda versatus sim. Divisi Libellum meum in duas partes, quarum in altera Historiam Juris Romani, in altera vero Institutiones ejusdem, explicare conatus sum. Et recte quidem, ut opinor, cum progressum Juris cujusvis populi, nullo alio modo nisi hoc investigare queas, si

methodo historica rem tractare vis. In disponendis ipsi Institutionibus usus sum eodem ordine, quem Celeberrimus Savigny sequitur, ommissa disputatione de Parte, *ut vulgo dicitur,* Generali; *eos imitatus, qui, quo magis sumptibus parcant, rem. quantum fieri potest, intra angustos cancellos includunt. Nec videbatur necessarium cur acta reagerem, cum constet, quemvis perlecto Libello haud facile desideraturum illa, quae in Parte Generali proferri soleant; illum vero, qui in scholis uti eo voluerit, partem eam, re ex ipso opere educta, suppleturum. Hac ipsa ratione motus, Eorum nomina, qui pretio representato Libellum meum redemerant, excudi non curavi, ob quod ne mihi irrascantur, rogo obtestorque! Doctrinam conabar ex ipsis fontibus eruere, refutatis opinionibus aliorum; quos tamen nominatim citare inutile videbatur, cum homines notos in scenam producere odiosum sit, et illud incertum velintne sese nominari. Non potui tamen cohibere animum, quin nonnunquam non steterim proposito. At veniam hujus facile me impetraturum apud illos puto, qui sciant, in quantos errores plurimi Recentiorum sint demersi. Ipsos fontes, ex quibus hauriebam, quantum opus fuit, laudavi; Clariss. Hauboldi duo praecipue opera adhibui,* 1. *Institutionum juris Romani Privati Lineamenta. Lipsiae.* 1814 (*quod*

hoc modo nominavi: Haubold §) 2. *Institutiones juris Romani Literariae Tom. I. Lipsiae* 1809 (*quod laudavi:* Haubold Inst. *I* R. L.) *Non potuit attamen non fieri quin alios quoque libros laudarem quos possideo, quosque scio plura continere, quamvis vastitate tanta non commendatur, quanta illi, quibus insudant manus vulgi. Saepius forsan, quam decuit, nominavi Gaii Institutionum Commentarios, nunc primum a Goeschenio editos; multoties quo ad verbum eos exscribens; quod tamen partim ideo feci, ut ipsum Gaium loquentem inducerem, partim, ut quibus ad manus praeclarum hoc opus fuerit, indicarem loca paralella, a clarissimo Editore adnexa.*

Exponenda nunc esset vita Gaii, quam hoc loco me adlaturum, supra (p. 149.) *promiseram. Sed eheu! re non absoluta discedere cogor. Cum enim hunc libellum scriberem, in eoque excudendo festinarem, non potui morari fervente iam opere, (nam periculum in mora erat), donec mihi a Bibliopola, homine tardo et ignavo, mitteretur Commentatio, quam, ut, dum haec elaborabam, constabat, clarissim. Goeschenius, Commentariis Gaii, praefixurus erat. Quapropter ad relegendum ea, quae Lauthius nuper de hac re scripsit (in Themis, ou Biblioteque du jurisconsulte T. I. p.* 287. *sqq. Paris* 1820) *Lectorem remitto.*

Haec sunt, quae dicenda habui. Utinam oppella haecce placuerit Vobis Doctissimi Viri, Vobis inquam, Hugo, Savigny et Unterholzner, quos summa pietate, etsi a vobis remotus, colo atque veneror. Felicem me dicerem, si qualicunque modo Elegantem jurisprudentiam, qua populares vestros instituitis, in patria mea resuscitare, atque propagare possem.

Scribebam Varsaviae a. d. XIV. mens. Jul. MDCCCXX.

W. A. Macieiowski.

SERIES CAPITUM.

I. Historiae Juris.

II. Institutionum Juris.

PROOEMIUM.

De optima methodo juris docendi et discendi 1).

Vehementer illi errant, qui philosophiam jurisprudentiae studio basin atque fundamentum subiiciunt, atque adgredientem ad hoc studium, qui philosophicis argutiis initiatus non esset, veluti profanum a sacris mysteriis arcent. Aetas nostra opinionum falsarum ferax, quum sententiam hanc avide amplexa esset, diuque cupide fovisset, brevi, maximo cum damno, errorem suum agnovit, idque assentiri coacta est: nisi falsa illa opinio quae hucusque in nonnullis Academiis dominatur, *priusquam solidam jurisprudentiam didiceris, puro cuidam ex ratione petito*

1) Cf. *Schlosser* Ueber das Studium des reinen Roem. Rechts (in Hugo's. Civilistischen Magazin. Tomo I. p. 20. sqq. ed. 3tia). *Savigny* Ueber den Beruf unserer Zeit zur Gesetzgebung. Heidelbergae 1814. *Idem.* in praefat. ad Zeitschrift für geschichtliche Rechtswissenschaft. Berlin 1815. Ibidem. Tomo III. p. 1.

juri, operam te dare debere; nisi, ut monuimus, falsa haec sententia e medio tollatur, frustra Magistros solidiorem juris doctrinam tractantes laboraturos, ut disciputi aliquid fructus ex ea re perceperint.

Nec longum abest hujusce rei causa; omnis enim jurisprudentia, tribus his quaestionibus nititur: *Quid juris sit? Quomodo acciderit ut sit juris? Num rationi congruum quod juris sit?* Quarum quaestionum duae primae historicae, tertia philosophica est. Utra autem earum majoris momenti sit, et utram tyronem ad jurisprudentiam didicendam adgredientem amplecti debere, si quaeris, equidem priores duas ut dissolvat, priusquam tertiam tractaverit conari eum oportere affirmaverim. Cum enim quaestio tertia, sive illa: *num rationi congruum quod aliquid juris factum sit*, nullo modo dissolvi possit, nisi scias, *quid sit juris*, apparet: tertiam quaestionem nullo modo te enucleaturum, nisi priores duas explicueris. Itaque priusquam solidam et *positivam* jurisprudentiam non tractaveris, nullo modo juri, quod *abstractum* vocant, opera navanda tibi erit. Ad probandam opinionem nostram alia causa, illaque gravior, argumenta nobis suppeditat. *Omne jus, ut ICti Romani* definierunt, tribus partibus constat: *Naturali, Gentium et Civili jure*, sive quod natura omnia animalia docuit,

quod ratio inter omnes gentes constituit, quod proprium unicuique civitati est. Cum autem eo jurisprudentiae studium tendat, ut quid apud nos juris sit sciamus, et cum omnes ejus partes priusquam de illis philosophemur recte noscere debeamus, patet, jus civile juri naturali anteponendum esse, adeo ut periculosum sit ei studere, priusquam jus civile non cognoveris. Quorsum id? Ne more praeposterorum hominum te geras, qui de re judicium ferunt, cujus nullam cognitionem habent, quique, quid juris esse debeat, docent, licet non monstraverint quid juris sit. Quapropter opinione illa improbata, unumquemque jurisprudentiae studiosum admonitum esse velim, ut a perscrutando jure civili studium hoc ordiatur.

Sed obiicere aliquis potest: nullam gentem recentiori aetate inveniri, cujus omnia instituta, omnes leges, omniaque jura adeo perfecta sint, ut perscrutatis illis, de extraneis legibus recte judicare possis, idque cum ita sit, rectius esse juri abstracto operam dare, ut *a priori* quid aequum justumve sit persuasus, de legibus aliarum civitatum propriaeve gentis, judicare valeas. Quod tamen minime nostrae opinioni repugnat; neminem enim esse puto qui neget, sententiam eorum qui talia objecerint, parum ab opinione illorum differre, qui affirmare

voluerint, notionem linguarum inchoandam esse non a regulis praeceptisque ipsius quam didicendam adgredimur linguae, sed a philosophematibus, quae praedocti quidam homines de ea instituerint. Quanto rectius illi agunt, qui acriter incumbentes notioni linguae consensu rei peritorum locupletissimae, eam quomodo orta perfectaque sit diligenter perscrutantes, illa, ceu duce ad aliam discendam transeunt, simul philosophantes qui factum ut tam perfecta sit, quique fieri possit, ut ad normam ejus sermo paternus formetur. Eodem modo equidem in didicendo jure procedendum esse puto. Investigandum itaque est, quodnam jus, sive recentium, sive antiquorum populorum aptissimum inveniatur, quod ceu exemplar justi et aequi propositum omnia ea complectatur, quae genuinae indoli cujusvis populi respondeat, cujus singulis institutis quomodo orta perfectaque investigatis juri patrio optima quaeque adaptare inde possis, habeasque, unde quod tibi tuaeque reipublicae utile videatur sumas, quod bonum sit imiteris, quod malum vites.

Haec cum multis viris doctis unice apta methodus visa sit ad jurisprudentiam didicendam, non diu quaesivere quodnam jus sumerent methodo suae adaptandum. Talem enim praestantiam Juris Romani adgnoverunt viri celeberrimi, et ipsi

quidem philosophi v. c. *Leibnitius*, ut omnes fere uno ore exclamarent, unumquemque solidiorem jurisprudentiam addiscere cupientem masculam illam jurisprudentiam discere oportere. 2) Neque ideo solum sapientes ili viri id necessarium esse viderunt, sed ideo etiam, quod quum cognovissent, omnes fere Europaeas gentes suo Juri vel Romanum vel Germanicum admiscuisse, alterique cum altero pro maxima parte conjunctionem intercedere, nullum institutum recentiorum juris Codicum recte cognoscere se posse brevi conspexerunt, nisi primordia ejus in jure Romano vel Germanico investiganda perscrutarentur.

Hactenus de ipsa methodo. Nunc paucis persequar qua ratione circa illam versari debeamus.

Errant qui ingenium et indolem gentium ex rebus ab iis gestis, imprimis ex rebus bellicis et politicis cognosci posse putant. Nisi enim compertum habueris qua forma gubernandae rei-

2) Operum Vol. IV. P. 3. p. 267. *Dixi saepius, post scripta geometrarum nihil exstare, quod vi ac subtilitate cum Romanorum Jureconsultorum scriptis comparari possit: tantum nervi inest, tantum profunditatis.* et Epistolar. Tom. I. ep. 119. *Ego Digestorum opus vel potius auctorum, unde excerpta sunt admiror, nec quidquam vidi, sive rationum acumen sive dicendi nervos spectes, quod magis accedat ad mathematicorum laudes.*

publicae unaquaeque gens utatur, quibus legibus regatur, nullo modo certum judicium de ejus disciplina et institutis ferre poteris. Adparet itaque genuinam indolem cujusvis populi, nisi ex historia interna, sive recta cognitione ejusdem populi legum et institutorum, percipi posse. Eadem enim ratione qua singularia quaedam instituta apud quamvis gentem oriuntur, jura et leges populorum primordia capiunt. Quapropter maxime falluntur qui instituta quaedam a se excogitata *a priori* derivantes, ea populo cujus historiam investigant substituunt, rejectis omnibus aliis, quibus eousque utebatur; absona illa, a se vero excogitata meliora esse dicentes. Non enim philosophandum est, quale jus optimum constituatur, sed historica methodo persequendum et enucleandum, quid optime animo cujusvis populi respondeat, et quomodo factum sit, ut hoc non vero illud illi placuerit. Plane diversa tamen illi docent, cum affirment: facultatem jurisferendi apud quemvis populum soli Principi, vel quicunque in eo praevaleat competere, casuque id fieri si justae vel injustae sint, quippe quae ex arbitrio Principis pendeant. Itaque cum institutioni ipsius summi reipublicae moderatoris qualitas legum subjecta sit, non a re fieri putant, si abstracta quaedam jura a se excogitentur, quae ad manum principi essent, quoties illi novas leges po-

pulo intrudere placuerit. Quod tamen falsum mihi videtur, quippe qui videam talia obicientes non accurate perpendere, brevi instituta et leges latas quae animo et ingenio populi non respondeant duraturas esse. Multifarii enim modi sunt, quibus leges sibi displicentes populus circumire potest, ita, ut *verba* solum non vero *mentem* legis observet. Nullum itaque jus sive bonum sive malum apud quamvis gentem exsistere potest, nisi, quod populo, cui datum est, placeat.

Quaestio nunc oritur, quomodo jus apud quamvis gentem oriatur. Quam dissolvere haud difficile est.

Ut consuetudines et mores cujusvis populi ex mero arbitrio populorum, ita et jus ex mera ejus voluntate nascitur. Solet enim fieri, ut consuetudines et mores indies mutentur aut deponantur. Id ipsum sermo et jus apud quemvis populum experiuntur, eodemque ipso modo formantur et excoluntur, adeo ut posteri nesciant, quomodo quid juris factum sit, id solum pro certo habentes, legem vel institutum quoddam jam suos majores observasse, eoque se uti debere. Quod si animadvertimus, novum argumentum probandae rei supra expositae nobis aderit Inde enim elucet, *Ius*, sive id quod justum et aequum est, *ex ipsius populi ingenio pendere*, atque ita ut sermonem oriri, neque necessarium esse ut omnino

a legislatore derivetur, cum fieri soleat, ut diu populus aliquis suo sermone utatur, donec acciderit, ut nonnullae ejus partes vel mutentur vel aboleantur, et quidem eo ipso modo quo ortae sunt, id est populi mera voluntate; licet nonunquam fiat, ut unus caeteris longe praestantior post longam seriem rerum exsistat, qui ex voluntate sua nonnullas ejus partes mutet, quae si eas populus ratas habuerit, vigorem accipiunt. Nec obstat tales leges nonunquam malas, immo pessimas apud varias gentes deprehendi; supra enim jam diximus, leges ejusdem generis licet pessimae extraneis videantur, certo optimas genti quae iis utatur videri, cum illas observet. Nec mihi quisque contradictionem hic obiiciat supra affirmanti nullam legem apud quamvis gentem consistere posse, nisi eo consentiente; nunc vero contendenti: eodem modo ac sermo excolatur jus apud quemvis populum excoli. Nullam enim contradictionem deprehendet, dummodo observaverit, non omnibus rebus omnes nos idoneos esse. Itaque vulgo fit ut nonnulli, iidem admodum pauci, apud quamvis gentem vel sapientia, vel elegantia, vel subtilitate ingenii, vel denique peritia artis suae commendati, de excolendo sermone vernaculo anxii inveniantur, iique novas normas loquendi excogitent, quae modo imitatores invenerint, vulgares fiant. Sic quoque cum

Jurisprudentia res sese habere solet. Saepe enim accidit ut apud quemvis populum nonnulli, sive litterarum sive artis suae amore ducti, sive denique ut bene de patria sua mereantur, leges et jura hucusque inusitata condant iique ad comprobandum populo illis propositis, sive is suffragio voluntatem suam declarasset, sive rebus et factis, novarum legum conditores, licet nonnunquam se tales esse ignorent, evadant. Unde patet jam ex ipsa natura rei fluere: ut ii qui *practici* Jureconsulti vocantur, quam maximum studium Jurisprudentiae theoreticae navent, quo aptiores ad jura et leges popularibus suis proponendas et idonei et parati sint. Ita enim unum quodvis studium natura sua comparatum est, ut theoria quam maxime cum practica jungatur. Quod praecipue in Jurisprudentia fieri debet, ne utramque partem disjungendo, derisoribus et obtrectatoribus Jurisprudentiae decavillandi sanctissimam rem ansam praebeamus, affirmantibus: *vanum et inutile id studium esse, cum multos videamus, qui omnibus theoretici studii principiis destituti, perfectissimi JCti plurimis et videantur et habeantur.*

Sed est forsan qui dicat, quorsum tu haec omnia disputas, qui, cum de optima methodo Jurisprudentiae discendae disserere tibi proposuisti, quomodo sermo excolatur, et, quomodo jus apud quamvis gentem originem capiat, de rebus

potius ad Grammaticos vel Historicos ablegandis diffuse loqueris, remque lippis et tonsoribus notam, in medium profers? Sed manete, quaeso, Lectores, ut nostra celerius expediamus. Ideo enim id feci, ut ostenderem Jurisprudentiae studium eodem modo excolendum esse, quo alii litteris operam navantes procedere solent; qui prudenter rem suam agentes, uniuscujusque vocis radicem investigant, ejusdemque mutationes per varia temporum spatia diligenter scrutantur, ut invenerint, cur et qua ratione vario modo ~~a variis~~ loquuti sint. Eo ipso modo in enucleandis *Elementis Jurisprudentiae Romanae* procedendum mihi esse putavi, ut historica ratione quamlibet partem juris investigando pro virium nostrarum modo, vobis ostenderem, quomodo quodvis institutum Juris civilis Romani ortum formatumque sit. Quae omnia postquam exposuero, satis superque temporis erit ad philosophicas observationes instituendas, cur hoc vel illud juris factum.

Itaque vestigia propositae methodi sequens, Historiam Juris Romani illustrandam aggredior.

CAPUT I.

De Scriptoribus et monumentis, quibus ad Historiam Juris Romani illustrandam usus sum.

Minus recte illi mihi facere videntur, qui Historiam Juris Romani, eam cum Antiquitati-

bus conjungentes, in duas partes dividunt, quarum alteram historiam *externam*, alteram, id est eam partem quae Antiquitates Juris complectitur, *internam* vocant. Ita enim agentes, vel acta reagentes, vel, quod pejus est, unius corporis membra misere dilacerantes mihi adparent. Cum enim omnia ex Antiquitatibus quae ad jus privatum referenda sint ad historiam enucleandam adhibuissent, denuo ea repetere coguntur, jus privatum exponentes. Quod ni fecerint periculum incurrunt, ne Auditores eorum pro maxima parte eos disserentes non intelligant, obliti, ut fieri solet, quae praeterlapso anno exposita sibi habuere, vel sibi in memoriam statim non revocantes, quae audierant. Methodus itaque haec quam ipse *Gustavus Hugo* sequitur, minime nobis probatur, bene persuasis, meliorem illam esse, quam nuperrime celeberrimus *Savigny* proposuit; qui exposita historia sic dicta externa, sive doctrina de origine Juris Romani ejusque per varia temporis spatia fatis, omnia haec quae ad Antiquitates referri soleant, ad principia Juris enucleanda reservat, ita ut absolutis omnibus partibus, quae magis historiam vel Antiquitates quam ipsam praxin juridicam redoleant, in exponendis Digestis repetere illa opus non habeat. Nos hanc ejus methodum sequentes et historiam juris sic

dictam externam exponere adgredientes, quibus rebus in concinnanda ea adjuti simus, paucis exponimus.

Ut in historia populorum sic quoque in historia Juris, *Nummi*, sive inscriptiones, magni momenti sunt, cum ex iis saepae chronologiam discamus, rem admodum necessariam ad enucleandas subscriptiones constitutionum imperatoriarum. Scripsit post *Speinheimium* hac de re suo more *Carolus Bouchaud.* Majoris momenti tamen sunt *leges*, vel *fragmenta* legum antiquarum, quae nec in Jure Antejustinianeo, nec non in Codice utroque exstant. Sunt autem:

1. *Tabula Trajani*, sive Tabula de obligatione praediorum, quam nuperrime *Wolfius* Professor Berolinensis edidit cum Commentario, illustravit vero, vel potius recensuit, Savigny. Imperator Trajanus, constituit quaedam praedia, e quorum reditu liberi ingenuorum civium alerentur. Hinc nonnunquam ipsa haec tabula *alimentaria* dicitur. Utilis autem est enucleanti jus antiquum, quia multa de jure praediorum obligatorum habet.

2. *Tabula Heracleensis*. Heraclea erat civitas Magnae Graeciae a Doribus condita, quae partim suis partim Romanis legibus utebatur, cum municipium esset. Recentissimis temporibus inventae sunt tabulae duae quae hucusque diei exstant,

in quibus multa ex Jure Romano sumpta descriptaque inveniuntur. Aetas harum tabularum certo determinari non potest. Scriptae tamen videntur post bellum sociale, quo tempore multi ex municipiis Romam migrabant. Magistratus urbis Heracleae docere in his tabulis in publico adfixis *qualia jura civium* Romanorum sint, illoque praemonere eos videtur, de illis quae accidere possint, si Romam migraverint. Tabula Heracleensis primum a Mazochio (Neapol. 1754.), nostris vero temporibus a Marezolio (Lipsiae 1816) edita est.

3. *Lex Galliae Cisalpinae*, de qua nuperrime disseruit Dirksen Berolini 1810. Est autem lex de jurisdictione cujusdam municipii Galliae Cisalpinae. Reperitur in Hugonis *Civilistisches Magazin T.* II. p. 431.

4. *Tabulae* seu *testimonia de militum Romanorum honesta missione*, de quibus Theod. Alexand. Platzmann (Lipsiae. 1818.) disertationem scripsit. Solebant Romani militibus emeritis nonnulla jura in proemium virtutis concedere, quae in singularibus tabulis militibus emeritis scripta tradebantur. Testimonia ejus generis in duabus tabulis exarata inveniuntur, quae cera et lino ligatae, adscriptionem vel potius superscriptionem habebant, ne quoties legendi eas opus esset resolverentur.

5. *Inscriptiones variae* seu *documenta* in judiciis, ab antiquissimis temporibus usque ad Justinianum confecta. Haec usque ad Marinum qui ea illustravit, sub nomine *testamenti Julii Caesaris* occurrebant. Edidit autem eas Marinus sub titulo *Papiri Diplomatici.*

Maximi autem momenti sunt scripta Auctorum Classicorum, praecipue ICtorum, licet illi maligne a nonnullis classici non appellentur. Quod autem majoris momenti in hac re illi sint, qui ex professo Jurisprudentiam tractarunt quam alii scriptores, monuit Baco de Verulamio in 29. aphorismo de fontibus juris, dicens: „versatur infelicitas quaedam inter historicos vel „optimos, ut legibus et actis judicialibus non satis immorentur, aut si forte diligentiam quandam adhibuerint, tamen ab authenticis longe „varient."

Sed redeamus ad indicandos ipsos auctores:

1. *Polybius* descripsit historiam Romanam pragmatice, quam in multos libros divisit. Sextus liber continebat descriptionem rerum civilium Romanarum, qui tamen iniquitate temporis pro magna parte interiit.

2. *Dionysius Halicarnasseus* docebat linguam Graecam Romae, tempore Tiberii. Scripsit historiam Romanam, in qua licet multa subtilius tractavisset, quam Livius, saepe tamen ita

ut ille sibi contradicit 3) et multa habet falsa, quod primus *Beaufort* (cf. Hauboldius in libro paulo infra laudando) ostendit.

3. Majoris momenti sunt *Diodorus Siculus* et *Appianus*, in quem Niebuhr in historia sua 4) admodum invectus est. Injuste tamen id fecit, cum plurima apud Appianum inveniamus, quae apud alios auctores non inveniuntur v. c. de legibus agrariis, 5) ipso Niebuhrio 6) monente.

4. *Plutarchus*, praecipue in vita Romuli, Numae, Ciceronis et aliorum quos de emendanda republica anxios fuisse scimus.

5. *Dio Cassius*, vixit tempore Alexandri Severi; scripsit historiam Romanam; opera ejus pro majori parte excerpsit Zonaras, quod Niebuhr ostendit. l. c. p. 27. T. II.

6. Non sunt silentio praetereundi *Zosimus*, *Herodianus* et *Eusebius*, et qui inter eos principem locum obtinet, *Procopius*. Quemque tamen legendum eum adgredientem admonitum esse volo, ut eum cautus legat, cum *Historia* ejus *Arcana* cum ira et studio scripta sit.

3) cf. Geschihte von Rom. v. Niebuhr. II. Theile. Berlin 1811 --16. passim.

4) T. II. p. 323.

5) de quibus falsissima proferunt *Machiavelli* Discorsi I. 37. *Montesquieu* Consideration cap. 3.

6) T. II. p. 366.

7. *Laurentius Lydus*, scripsit de magistratibus Romanis. Opus hoc incognitum jacuit, usque ad aetatem celeberrimi *Anse de Villoison* qui illud inventum edidit.

8. *Paeanius*, vertit graece *Eutropium*, cui versioni nonnulla ex genio et doctrina sua addidit.

9. Caeteros autores v. c. *Grammaticos et Lexicographos*, puto non legendos esse, nisi ab iis qui verum a falso discernere queant. Multa enim in illis inveniuntur quae facile imperitos fallere possunt.

Hactenus de Graecis Scriptoribus. Latinos quin commendem, otium nobis alii fecerunt, qui jurisprudentiam et Philologiam conjungentes demonstrarunt, quemlibet ultra vulgus juridicum sapere volentem, assidue omnes Latinos auctores legere debere. Praecipui quos legendos propono sunt:

1. *Cicero.* Summus ille orator et philosophus, plurima in scriptis suis reliquit, quae apud nullum Jureconsultum nedum alium scriptorem invenias. Legenda itaque et summa cum diligentia excerpenda sunt scripta ejus, praecipue *libri Topicorum.* Nec praetereundi sunt ejus commentatores *Asconius Pedianus*, qui in Orationes contra Verrem et *Boëthius*, qui in Topica ejus commentatus est. Nostris temporibus illustrissi-

rimus *May* Bibliotecae Mediolanensi praefectus invenit tres ejus Orationes pro Scauro, Tullio et Flacco, quas illustrarunt *Cramerus* JCtus et *Heinrichus* Philologus.

2. *Plinius uterque*, praecipue vero *junior* in *epistolis*, quarum *liber decimus* et *panegyricus Trajano* Imperatori dictus, multa memorabilia continent. Item historicus *Fronto* et *Symmachus*, quos nuper Niebuhr, Heindorfius et Buttmannus illustrarunt.

3. *Ex historicis* praecipue *Livius*, *Valerius Maximus* et *Tacitus* digni sunt qui legantur. Nec minus Scriptores Historiae Augustae *Suetonius* et in primis *Gellius*.

4. Maximi momenti sunt *Scriptores Linguae Latinae*, inter quos *Varro* de Lingua Latina et *Festus* primum locum tenent. Nec praetereundi *Scriptores Rei Rusticae*, cum et illi, praesertim *Columella*, multa lectu digna habeant.

De scriptis Jure Consultorum, quibus ad Historiam Juris Romani enucleandam usus sum, passim in opere loquar.

C A P U T II.

Qui recentiorum optime hanc rem tractarint?

Historiam juris externam, jam ipsi Romani JCti tractarunt v. c. Pomponius in Dig. de O. J. Nonnulla de historia interna, licet id nolle vi-

deatur, ipse Justinianus in suis libris habet. 7) Omnia haec tamen manca sunt, cum systematice Historiam Juris non describant. Recentiores itaque, paecipue Galli, optime de hac re meriti sunt, cum multa in suis scriptis Historiam et Antiquitates juris illustrantia protulissent v. c. *Sichardus*, *Cujacius*, *Fabrottius*; quibus accedunt: *Paulus Manutius*, *Sigonius*, *Brissonius*. 8) His et illis extinctis denuo Jurisprudentia Romana labi coepit, donec *Thomasius* libro suo: *Naevi Jurisprudentiae Romanae ex historia ejus deducti*, eo consilio scripto, ut ostenderet utilius esse juri naturali, quam Jurisprudentiae Romanae studere, elegantiora ingenia somnio quasi sopita excitaret. Exstiterunt itaque viri, qui acerrime Jurisprudentiam Romanam deffenderunt v. c. *Hoffmannus* 9) et *Heineccius*. 10) His accesserunt *Bynkershoeck* et *Schulting*. 11) Multum quoque contribuit *Richterus* in doctissimis commentariis suis ad Codicem Theodosianum. Bachius et *Hugo*, celeberrimus professor Göttingensis, planiorem viam in hac palaestra desudare volentibus

7) Hugo Roem. R. Geschichte §. 10. nota 2. ed. VI. 1818.

8) Cf. Haubold §. 16. X. XI. p. 21. *sqq*.

9) Historia juris Romano — Justinianei Tomi II. Lipsiae 1718. 1726.

10) Historia juris civilis Romani ac Germau. c. obss. *Jo. Dan. Ritteri* Argentorati 1763.

11) Cf Haubold *l. c.*

stravere. 12) Nec multum post apparuere *Levesques* 13) et *Beaufort* 14) Galli, qui critice historiam Romanam illustrarunt. Ex Anglis praecipue *Ferguson* et *Gibbon* 15) in hac re elaborarunt; quorum ultimus in historia sua *Occasus Imperii Romani* summis laudibus JCtos Romani effert. Hanc partem ejus historiae Hugo germanice vertit, adnotationibusque illustravit 16) quae gallice versa prelum mox relictura est.

Omnibus tamen illis viris illustribus *Niebuhrius* palmam praeripuisse videtur, qui in opere illo supra citato, adeo sagax ingenium prodidit, ut nullus historicus recentioris aetatis, si artem critices spectas, eum adaequet.

In hoc tamen omnes qui historiam Jurisprudentiae Romanae tractarunt non conveniunt, quomodo ea dividenda sit.

Primus inter Germanos *Reitemejerus* fuit, qui (anno 1785. Gottingae) editae a se Encyclopaediae juris, historiam ejus internam intexuit. Divisiones tamen quas ille fecit, a primordiis Imperii Romani usque ad Praetores; ab eo inde tempore usque ad Augustum, atquae inde usque ad Hadrianum, et

12) Vide ejus librum supra cit:
13) Histoire critique de la republique Romaine Paris 1807.
14) Haubold §. 46. a. l. c.
15) Haubold §. 16. p. 23.
16) Cf. Haubold. l. c.

inde usque ad Justinianum, pro lubitu factae sunt, itaque pro lubitu mutari possunt. Nos Hugonis divisionem sequentes, 17) Histôriam Juris Romani in quatuor periodos divisimus: *Ima* ab incunabulis Imperii, sive regni, ad leges XII. Tabularum 450 ab U. C. II. usque ad Ciceronem 100. III. usque ad Alexandrum Severum 250. post Chr. nat. IV. usque ad Justinianum 554. post. Chr. n. Distinctiones eas eo lubentius sequimur, quo nobis magis persuasum habemus, certius jus Romanum a legibus XII. Tabularum esse, quod sub praetoribus vagum erat. Tempore Ciceronis jurisprudentia formularia in usu esse desiit, et ab eo inde tempore theoretica invaluit. Minus recte itaque ab Augusto novum ordinem juris invaluisse Reitemeierus affirmat. Tempore Alexandri Severi, quo Ulpianus vixit, praeclarissima ingenia quae Jurisprudentiam illustrarunt exstincta vidimus, quae tempore Hadriani adhuc viguere. Qua ratione itaque ab eo novam periodum incipis? His causis moti, divisionem Reitemeieri reiicimus.

17) Commodius dividi posse Historiam puto in periodos sequentes: I. ab incunabulis regni usque ad legem Canulejam a. U. C. 309. II. usque ad Capitonem Atejum et Labeonem Antistium (Proculejanos et Sabinianos) qui sub Tiberio vixerunt. III. ad Ulpianum. IV. ad Basilium Macedonem an. 867. post. Chr. n; quam tamen divisionem cum incertus sim utrum Criticis probata fuerit, nunc sequi ausus non sum.

PERIODUS PRIMA

ab incunabulis Imperii ad Leg 12 Tab. 450 ab U.C.

CAPUT III.

De origine Romanorum, natura et indole animi.

De Romulo ejusque fatis qui disputant, fallaces imagines captare mihi videntur, eo praecipue cum eos videam, adeo vera se loqui sibi placere, ut putares talia dicentes coaequales Romulo fuisse. Nostris temporibus exstitit vir, cum eruditione tum igenio conspicuus, celeberrimus *Niebuhr*, qui docuit, incertam Romanorum Historiam esse usque ad pugnam ad lacum Regillum an. 259, sive foedus 18 (cum Latinis ictum 19). Niebuhrius itaque affirmat, ab antiquissimis temporibus coloniam Latinorum ad ripas Tiberi conditam fuisse 20), eamque cum diu floreret ab Etruscis 21) (quos praevalentes opibus fuisse tempore belli cum Porsenna gesti ipse Livius memorat 22), occupatam esse 23). Secundum ejus oppinionem ea conditio victorum erat, ut partem terrae sibi ademtam pos-

18) de hoc foedere cf. Niebuhr l. c. T. 1. p. 302. 370. T. II. p. 473.

19) Conf. l. c. Tom. I. p. 142. sqq. p. 181. 199. p. 523. sqq. 294. 295. 359 367.

20) De anno conditae Romae cf. Niebuhr. l. c. p. 170.

21) Niebuhr in addit. ad T. I. p. 182.

22) Conf. Liv. II. 9. Niebuhr l. c. p. 182. p. 218. 224.

23) Niebuhr l. c. p. 168. seq. p. 181. 346.

sidendam retinerent 24). In qua Niebuhrii opinione etsi non omnia probamus 25), in eo tamen cum illo consentimus, multa in antiqua Historia Romana falsa inveniri, cum plurimae res sint, in quibus ipsi historici Romani sibi contradicant 26). Nos tamen si Niebuhrii opinionem sequemur, plurima explicata atquae enucleata habebimus, quae obscura forent, si in verba Livii jurare vellemus. Utcunque est, ipsos historicos Romanos sibi contradicere facile conjcies, si ea quae Plinius major et Livius de bello a Romanis cum Porsena gesto narrant conferre volueris 27). Deprehendimus praeterea Ciceronem 28) disputantem cum amico suo Attico, quo tempore Flavius scriba, qui fastos evulga-

24) l. c. p. 451. 236. 237. 258. 381. *sqq.* 450. 452.

25) Cf. A. W. Schlegel in Heidelberger Jahrbücher der Litteratur. Neunter Jahrgang IX. Heft. September. 1816. p. 337.

26) Cf. Schlegel l. c. Niebuhr l. c passim, praecipue p. 333.

27) Descriptioni hujus belli a vaniloquo *Livio* factae (Livius Histo. II. 9.) contradicit *Plinius* (Histo. Natu. XXXIV. 39.) dicens: in foedere quod expulsis regibus populo Romano dedit Porsena, nominatim se comprehensum invenire, ne ferro nisi in agricultura uterentur. — Similiter *Tacitus* Hist. III. 27. urbem fuisse Porsenae deditam narrat, Quem locum *Ernesti* misere torsit. Id ipsum narrat *Cicero* Quaest. Tuscul. 3. 12. Adde inscitiam scriptorum Annalium Romanorum quam notavit. *Niebuhr.* l. 10. p. 427. t. I. eorumque contradictionem *Niebuhr.* l. c. p. 440. *Polybius* II. 18.

28) Cicero ad Atticum VI. 1.

vit vixerit, utrum ante leges XII. Tab. an post eas conditas. Quapropter eo lubentius opinionem Niebuhri sequimur, quo scimus, ipsos Romanos credidisse, se a variis populis Italiae originem ducere. 29) Itaquae a latronibus, et id genus hominum Romani derivandi non sunt, ut multi volunt, cum ab ipsis incunabulis regni praeclara instituta et leges apud eos viguisse tradantur. Parum autem Romanos id observasse, utrum quis claris parentibus ortus in Urbem migrasset, utrum servus, postea vero manumissus, inde apparere puto, quod nullum discrimen sit apud eos in jure familiarum tam hominis *liberi* quam *servi*; quum filii et servi empti apud Romanos in potestate patris familias essent, et servi manumissi, eodem nomine ac ipsi filii, nomine nempe manumissoris, vocarentur, id est nomine gentilitio, quod in *jus* terminabatur. Hinc facile adparet, cur ab antiquissimis temporibus admodum coelibatui dediti Romani deprehendantur. Ut autem servos suos manumitterent, multis rationibus movebantur. Quarum praecipuam puto, quod manumissus servus semper patronum suum, id est manumissorem, colere eumque si opus habuerit adjuvare, tene-

29) Tacitus Annal. IV. 65. -- Suetonius in vita Tiberii Cap. 1. -- Livius II. 1. Niebuhr. l. c. T. I. p. 216. T. II. p. 529.

retur. Cum autem Romani saepius bella gererent, stipendiaque nisi liberi homines facere possent, paterfamilias, ut eo tutior domi sederet, servum manumissum in bellum mittebat, haud frustra sperans, eum praeda onustum cum bello confecto reverterit, sibi suisque magno lucro fore.

Si accuratius ipsos Romanos consideramus; magnam similitudinem inter eos et Dores Laconicos inveniemus, quibuscum, iis dico qui Italiam inferiorem sive magnam Graeciam incoluere, ab antiquissimis temporibus necessitudo intercesserat 30). Non patiebantur aeque hi atque illi homines vanos, quales Athenienses fuerunt, ipsique Romani neque ita leves ut Galli, neque ita pigri ut Germani erant, 31) sed, ut viros decet, graves et pene dixerim rigidi; quod ad augendam et formandam eorum Jurisprudentiam admodum contulit. Non omnino tamen castitas morum apud eos deprehenditur, imo gens haec quam maxime libidinosa fuit, ut ipsi eorum Historici id tradunt: v. c. Valer. Maximus VI. 1: Unde apparet, qui factum sit, ut gentes antiquae Romanae brevi interirent. Plurimi is a Romanis

30) Non tamen inde conijcerem, Romanos fuisse colonos Graecos, ut affirmat Ritterus ad I. G. Heineccii Historiam Juris Romani. Argentorati 1765. p. 2.

31) Taciti Germania 17. 28.

fiebat qui uxorem ducere vellet. Ut apud omnes barbaras gentes ita apud Romamanos quoque fides maxime colebatur, Polybio libro VI. c. 56. auctore: *in Graecia legibus sua promissa homines obligare, apud Romanos verbis,* dicente. Hinc crudeles illae leges contra inopes debitores, qui aere alieno obligati fidem creditoris fefellisent 32). Proverbium Romanis erat 33): *largitionem fundum non habere* quod et Polybius testatur 34), qui ait, *dona ultro sibi offerre cives Romanos non solere, neque nomen contractum exsolvere ante diem constitutam.* A primordiis rerum bello gerendo et agricultura occupabantur, diuque majoris pretii homines ruri degentes quam urbem incolentes illis erant. Cum mercaturae dediti olim non essent, non cudebant pecunias, sed massa aeris, id est aere, loco pecuniarum utebantur 35). Seriori tempore cum saepius bella gererent armaque ex aere fabricarent 36) rarius id quam argentum apud eos inveniebatur. Omnia animalia quae agro colendo inepta essent, *fera* esse seu *bestias* di-

32) conf. Dissertatio nostra: *Comparatio legum Solonis et Decemviral.* Varsaviae 1819 p. 6.

33) Cicero de Offi. II. 15.

34) Polybius XXII. 5.

35) cf. auctores, quos Niebuhr l. c. T. *I.* p. 269 p. 270 citat.

36) Niebuhr l. c. T. I. p. 271.

cebant, eaque rebus nec mancipi adnumerare illis placuit, quod Ulpianus in fragm. XIX. l. testatur.

C A P U T IV.

Quomodo dividerentur?

Omnes homines apud Romanos dividebantur in homines *sui* et *alieni* juris. Peregrinos, quos neque sui, nec alieni juris esse Romani dicebant, diligentissime a finibus suis arcebant, hostes eos appellantes 37). Persuasum enim omnes antiqui populi sibi habebant, vicinas et longe positas gentes, quae foedere secum junctae non essent, hostili animo erga se esse, ideoque hominem ad se inde delatum interficere vel in suam potestatem redigere sibi licere.

Observandum quoque est Romanos putasse, duplicis generis homines nasci, *liberos* et *servos* Putabant praeterea etiam liberos inaequalis conditionis esse, respectu *sexus* et *aetatis.* Discrimen tamen id magis in *viris* quam in *foeminis* observabatur, quae sub perpetua tutela apud Romanos degebant, cum contra mares patre exstincto sui juris fierent. Attamen conditio foeminarum Romanarum non adeo misera fuit

37) Cicero de Off. I. 12.

quam Graecarum, quae seclusae a viris in diversis partibus aedium vitam transigebant, cum contra apud Romanos matres familias vices mariti in rebus domesticis gerere solerent 38). *Affines matrum familias* non adeo aestimabantur, quam *affines patrum* familias qui *adgnati* dicebantur; quapropter in omnibus rebus, respectu juris privati *cognatis* sive *affinibus matris* familias praeferebantur. Erant praeterea apud Romanos qui licet sui juris essent, liberi esse non putabantur sensu juridico, quibus nec lege agere nec alienare licitum fuit, nisi curatore auctore. Tales erant *furiosi* et *prodigi*, 39) quorum mentio jam in XII. Tabular. legibus occurrit. Unde patet non adeo frugi homines antiquos illos Romanos fuisse, ut vulgo perhibentur. Nec minus id observandum est, jam in XII. Tabularum legibus hominum *intestabilium* sive perfidorum mentionem occurrere.

Dividebantur quoque Romani in *patricios* et *plebejos*, et rursus in *clientes* et *patronos* subdividebantur, ita ut etiam plebei homines possent appellari patricii. Patricios a verbo *pater* nomen trahere dubio caret. Quam ob rem errare eos puto, qui plebejos homines patricios fuisse

38) Niebuhr l. c. T. I. p. 317.
39] Hugo Roem. R. Geschichte §. 40.

negent. 40) Rem paucis absolvam. Supra monuimus quam ob causam saepius quam aliae gentes servos suos Romani manumittere soliti fuerint. Libertati aliquem reddere est ac si vitalem hominem feceris, cum servus qui alienae potestati est subjectus, respectu juris vivere non putetur. Jure itaque meritoque servi dominos suos, qui se manumiserunt, patronos suos, id est patres appellabant, progeniem eorum *patricios*, sive filios patronorum suorum, vocantes. Qui itaque apud Romanos hominem vel a se vel a Majoribus suis manumissum non habuisset, patricium sese appellare non potuisse, equidem affirmaverim. Cum autem nobiles solum manumittere apud Romanos putari nequeant, adparet, etiam plebejos patricios vocari potuisse. Huic opinioni tamen Livius I. 8. et alii Historici contradicere videntur, qui dicunt: Romulum centum ex senatoribus elegisse, quibus cura plebis esset eosque patres appellasse. Quae ego verba Livii duplici modo explico, arbitrioque aliorum relinquo, utram malint probare. Verba Livii si recte observamus non contradicentia nobis videbimus, nihil enim aliud Livius dicit, nisi: Romulum voluisse ut centum illi senatores electi, talem curam erga plebem

40] Niebuhr l. c. T. I. p. 235, ibidem Festus s. v. *Patres*

adhiberent, quali patres illi suos clientes fovebant. Praeterea putari potest, non adeo frequentem numerum plebejorum fuisse, qui aeque crebre ac nobiles manumitterent. Hi etsi patricii appellabantur a clientibus suis, ob frequentiorem numerum tamen saepius nobilibus quam illis illud nomen inhaesisse recte me judice dixeris. Romulus itaque cum illis curam plebis commisisset, patricios eos adgnovit, quo nomine nisi ab hominibus sibi deditis eousque appellabantur Hanc interpraetationem ipse Livius affirmat qui ait: exactis regibus Brutum centum ex equestri ordine elegisse, sive inter senatores conscripsisse, addita distinctione *minorum*, qua ab illis, quos ei patres *majorum gentium* appellare placuit, different.

C A P U T V.

D e *M a g i s t r a t i b u s.*

Imperaveritne olim Romae reges, nostrum non est inquirere. 41) Hanc itaque rem investigandam Historicis relinquentes, addimus: Romanos a primordiis unum, appellatum *Regem*, eligere solitos fuisse, qui cum *Senatoribus* et *Populo* summam rerum moderaretur. Conveniebat populus

41) cf. Niebuhr I. p. 172. 178. 180.

in concionem de re publica deliberaturus, in *tres tribus* 42) divisus, quarum unaquaeque in *decem Curias*, quaelibet vero Curia in *decem gentes*, ut Niebuhr 43) putat, dividebatur. Ne autem magna frequentia hominum conciones, sive Comitia turbaret, Servius Tullius sextus Romanorum rex ex facultatibus bonorum cives censuisse dicitur, ita, ut illi, quibus maximus census esset, summam rei tenerent. 44.)

Quae causa Romanos impulerit, ut loco unius regis duos crearent, non curamus. Hoc tamen addo, in republica Romana foeminarum causa vel iisdem ansam dantibus, mutationes pro maxima parte omnes factas fuisse. Ut enim *Lucretia* eijciendis regibus, ita *Virginia* expellendis Decemviris et M. Fabii Ambusti filia Consulibus e plebe creandis, causa fuere 45). Utcunque se res habuit, monuisse sufficiet: Romanos perosos potestatem unius duos creasse, *Consules* nempe, quos ne per omne vitae tempus potestatem suam exercerent 46), in singulos annos designabant. Nomen eorum unde fluxerit, ipsum verbum *consulere* indicat. Veteres enim Romani pro *consu-*

42) Niebuhr l. c. T. I. p. 256.
43) l. c. T. I. p. 223. 229. sqq.
44) Reliqua videantur apud auctores, quos Niebuhr l. c. T. I. p. 220. sqq. citat.
45] Livius VI. 34, 37. -- Beaufort l. c. II. 10.
46] Niebuhr l. c. T. I. p. 206.

lo dicebant *conso*, ut videre licet ex Etymologico Vossii s. h. v. Quae derivatio magis placet quam illa Niebuhrii 47) et Hugonis 48) a verbo *consens*, quod ὕπατος graece audit, *consules* Romanos nomen ducere affirmantium. Alter consulum, senatores et collegam quaerebat, id est de re publica consulebat, qui si contradixit, illius sententia reiiciebatur, cum apud Romanos usu receptum esset *prohibentis meliorem conditionem haberi* teste Appiano de bello Civili I. 12. III. 50.

Perpetua bella quae Romani gerebant causa ultimae miseriae plebejorum, ob devastatos agros fuere, quae ultimis agitata malis novum magistratum creavit qui se defendere posset contra vim patriciorum et ipsorum consulum, qui, utpote patricii, cum illis in miseram plebem cruciandam sese conjurasse videbantur. Tribuni plebis 49) itaque creati sunt 50) et quidem *sacrosancti* 51) quo tutiores contra impotentes patricios forent. Horum autem ideo hic mentionem fecimus, quia auctores erant *plebiscito-*

47] l. c. T. I. p. 324.

48] Roem. R Gesch. §. 46.

49] de origine hujus Magistrat. cf. Niebuhr I. p. 257, 373, 426. ibique citatus Dionysius.

50] praeter quos nemini populum alloqui licuit. Niebuhr. l. c. T. 1. p. 422.

51] de poenis in sacrosanctos cf. auctores quos Niebuhr l. c. T. I. p. 342. citat.

rum. Plebisicta primum obstringebant plebeios, postea vero patricios, de qua re haec apud Gaium comment. I. 3 legimus \,,Lex est, quod populus ,,iubet atque constituit; plebiscitum est, quod ,,plebs iubet atque constituit: plebs autem a po- ,,pulo eo distat; quod populi appellatione uni- ,,versi cives significantur, connumeratis etiam ,,patriciis, plebis autem appellatione sine patri- ,,ciis ceteri cives significantur. Unde olim pa- ,,tricii dicebant, plebiscitis se non teneri, quia ,,sine auctoritate eorum facta essent, sed postea ,,lex Hortensia lata est, qua cautum est, ut ple- ,,biscita universum populum tenerent, itaque eo ,,modo legibus exaequata sunt."

Caeterum momendum est, fuisse duplicis generis tribunos. Alii enim tribuni erant *praefecti tribubus*, alii *defensores plebis.* Hi etsi ordinarie creabuntur, tamen *magistratus* esse non putabantur, cum illis mulctam indicendi jus non esset. 52)

CAPUT VI.

Fontes antiqui juris

De origine 53) antiquissimarum legum apud Romanos caute perscrutanda ea sunt, quae hi-

52] cf. Niebuhr l. c. T. I. p. 417. T. II. p. 69. 136.
53] de iis cf. Ritterus ad Heineccii librum citatum p. 13. sqq.

sto-

storici tradunt. Livius narrat, Romulum populo leges dedisse; quaenam autem illae fuerint, tacet. Diligentior in hac re Dionysius Halicarnasseus est, sed confusior. Nos argumentis ex ipsa ratione et rerum Romanarum statu petitis affirmamus: *Romanos usque ad leges XII. Tabularum magis jure non scripto, vel consuetudinibus et more, quam jure scripto, usos fuisse.* Non negamus tamen habuisse multas leges scriptas, nam fragmenta earum 54) apud Historicos deprehenduntur; quae ut enumeraremus otium nobis fecit Bachius (in Historia Jurisprudentiae Romanae ed. VI. p. 8. sqq) congestis omnibus, quae colligi potuerant.

Fontes 55) autem juris erant:

1. Leges a populo latae; quodcunque autem teste Livio VII. 17. postremum populus jusserat, id jus ratumque erat.

2. *Scita plebi*, vulgo *plebiscita* dicta, quibus opponebantur *Consulta Senatus*, sive *Senatus Consulta.* Omnia haec dicebantur *legitima*, cum ex legibus originem suam ducerent; illa vero, quorum jus consistebat in *aequo* et *justo*, *jus gentium* vocabantur.

54] cf. Niebuhr. T. I. p. 175. 211.

55) cf. Gaii Comment. I. 2. Cicero in Topicis 5. de Invent. II. 22. Frgm. Vet. JCti §. 1 -- 3. p. 813. [ed. Schulting] Instit. I. 2. Digest. I. 3.

CAPUT VII.

Antiquissimi JCti Papirius, Appius Claudius.

De JCtis hac aetate loquentes, hoc nomine abutimur, recte nobis persuasi, aetatem illam, quam merito barbariei accusare possis, neque inferioris ordinis JCtos habuisse. Inveniuntur tamen duo, de quibus nonnulla proferenda putavi.

Primus eorum est Papirius, de quo Ritterus ad Heineccium l. c. p. 30. cf. Papirium eundem esse ac *Lipsium* discipulum Mureti, *Desquiron* Professor Parisiensis contendebat, dicens: Lipsium Jure Consultum Romanum leges XII. Tab. collegisse 56). Unde videre possumus, qualis status sit Jurisprudentiae apud illam gentem, quae olim *Donellis, Godofredis, et Cujaciis* gloriabatur!

Papirium leges regias collegisse, Granius Flaccus in libro suo *de Indigitamentis*, auctor est. Quale autem id opus Papirii sive *Jus Papirianum* fuerit, certo determinari non potest. Probatissima tamen opinio Dionysii Halicarnassei nobis videtur, qui ait, nihil aliud quam *indicem verborum solemnium* id fuisse 57). Illa enim aetate penes pontifices Jurisprudentiae studium fuit, cum patricii solum pontifices eligi possent, ver-

56] cf. Goett. G. Anz. 1809. Savigny l. c. p. 61.
57] cf. Ritter. ad Heineccium cap. 17.

satioresque in Jure hominibus plebeis haberentur, cum illi neque ritus sacros, neque dies fastos nefastosque noscerent. De Papirio reliqua apud Bachium videantur. De Appio Claudio judicio in Virginiam iniquo lato admodum celebri, nihil, quod proferam, habeo.

PERIODUS SECUNDA

a legib. 12 Tab. usque ad Ciceronem — 100 ante Christum

CAPUT VIII.

De legibus XII. Tabularum.

Quod Pomponius *fr.* 2. §. 1. D. *de O. J.* tradit: „initio civitatis Romanae populum sine lege „certa, et sine jure certo egisse, omniaque ma„nu a Regibus gubernata fuisse," admodum ambigua sunt, ipsique veritati et Historicorum libris contradicentia. Recte enim scimus non omnes reges Tarquinio Superbo similes fuisse, nec manu omnia gubernasse, cum et illis exactis Romani legibus eorum uterentur 58); licet idem Pomponius eodem loco nobis contradicat, narrans: „exactis regibus lege Tribunicia omnes has „leges exolevisse." 59)

Locum hunc si recte considerare voluerimus, conspiciemus, posse duplici modo explicari.

58] Niebuhr l. c. T. I. p. 178. 321. 322.
59] cf. Heineccius l. c. p. 27.

Verti enim potest: *lege Tribunicia expulsos fuisse Reges*; aut: *lege Tribunicia regias leges exolevisse.* Utraque tamen lectio nobis displicet, nisi enim legem Tribuniciam ad Junium Brutum, Tribunum Celerum 60), qui reges expulit, retulerimus, sensu locus ille Pomponii carebit, cum sciamus Tribunos plebis ~~quinquagesimo~~ decimo septimo anno post reges exactos institutos fuisse. Quod si ad legem tribuniciam Bruti verba haec refers, eadem difficultas adparebit, cum constet consules in locum exactorum regum electos, nisi nomine regibus dissimiles fuisse, omniaque ex legibus regiis gubernasse. 61) Reiicientes itaque Pomponii illam opinionem, eorum sententiam sequimur, qui dicunt non solum usque ad XII. Tabularum leges, a regibus latis legibus usos fuisse Romanos, sed eas etiam pro maxima parte in hunc novum Codicem conscribi curasse. 62)

Quae occasio instituendorum Tribunorum fuerit, supra dictum est. Hic observandum erit, Historicos v. c. Livium III. 9. narrare: plebem impotentem dominatum Consulum perosam, per Tribunos agitasse, ut legibus potestas Consulum

60] Reges Romani eligebant sibi Tribunos Celerum, ita, ut Dictatores eligere solebant Magistros equitum, cf. Niebuhr l. c. T. I. p. 315.

61] cf. Ritterus ad l. c. Heineccii p. 28. sqq. Niebuhr l. c. T. I. p. 339. 341.

62] Niebuhr l. c. T. I. p. 400.

circumscriberetur. Quod cum ad finem perduci non posset, id saltem consequuta sit plebs, ut jus aequum constitueretur 63). Necessitate itaque ipsa coacti Romani non fuerunt ad leges conscribendas, nam usque ad XII. Tabular. etsi Codicem legum conscriptarum non habebant, vitam serenam agebant, et post duodecim Tabular. leges, in animum non induxerunt, novum legum Codicem condere. Recentissimus de hac re scriptor Niebuhrius 64) ex Livio III. 56. affirmat, *aequandarum legum causa*, leges XII. Tabular. conditas fuisse, quod verbum de *jure sine studio partium tributo*, Livium intelligere, dubio caret. Opinionem hanc Tacitus Annal. III. 27. firmat, dicens: „compositae fuere duodecim tabulae, „finis *aequi* juris. Nam secutae leges, etsi aliquando in maleficos ex delicto, saepius tamen „*dissensione* ordinum et adipiscendi inlicitos honores, aut pellendi claros viros, aliaque ob „prava per vim latae sunt." Quae Taciti verba interpretes in varias partes rapiunt, atque misere torquent; nihil tamen efficiunt.

De origine eorum, alio loco disputavi, 65) citatis qui uberius de hac re tractaverunt. Hic ea addenda nobis esse videntur, quae ibi omisi-

63] Niebuhr l. c. T. II. p. 48.
64] l. c. Tomo II. p. 107. sqq. 112.
65] Comparatio legum Solonis et Decemviral. p. 1. sqq.

mus, optime nos facturos rati, si uberrime quantum poterimus, de illo juris Romani fonte perenni disputaverimus.

Inprimis quaerere ex illis velim, qui originem XII. Tabular. legum in institutis Licurgi et Solonis scrutantur, qui factum sit, ut Romani mitterent homines ad longe positas gentes qui peregrinas leges conscriberent, quibus ab eo inde tempore uterentur, cum illa aetate Romani fere semibarbari essent, nec quicquam de Graecis scirent, nisi forsan exceperis, compertam omnibus e Livio legationem illam a Tarquinio Superbo ad oraculum Delphicum. Equidem licet fabellis Livianis fidem dare vellem, mirari tamen non desinerem, qui acciderit, ut sibi persuadere possent Romani, adoptare leges peregrinas repugnantes animo et indoli suae gentis, ut ex fragmentis ipsarum legum, modo ea diligenter inspexerint omnibus adparebit 66). Praeterea quo idiomate collocuti sint illi semibarbari Romani, cum Atheniensibus equidem ignoro, nec cum glossatoribus 67) credo, manu et gestu ea quae cupiebant Graecis significasse decemviros.

66] Niebuhr l. c. T. II. p. 68.

67] cf. glossa de fr. 2. D. de O. J. Miserunt Graeci Romam quendam sapientem ut exploraret an digni essent Romani legibus: qui cum Romam venisset, Romani cogitantes, quid potuerat fieri, quendam stultum ad disputandum cum Graeco posuerant, ut si perderet,

Videmus recentiori tempore omnes populos frementes quoties iis novae leges, nedum peregrinae, inferuntur. Cujus rei ipsi nos documentum dedimus, cum jussi essemus (immemores quantum lucri inde nobis cesserit?) Codice Napoleoneo uti; qui tamen aptior ingeniis nostris putari potest quam ingeniis Romanorum leges Solonis. Pro maxima enim parte ex Jure Romano et Germanico descriptus est, quo, saltem ultimo, diu apud nos utebantur homines. Adversarii nostri Livii et Dionysii verba proferunt. Sed ignoscant nobis quaeso, si rationi nostrae potius quam Historicis arte critices non commendatis, obtemperaverimus 68). Proferunt aliud argumentum idque gravissimum, ut illis non quidem nobis videtur, proferunt verba Plinii Majoris, mentionem cujusdam Hermodori facientis, qui Jonia patria sua pulsus, in

tamen derisio esset Graecis. Qui sapiens nutu disputare coepit et elevavit unum digitum, unum Deum significans, stultus credens quod vellet eum uno oculo excaecare, elevavit duos, et cum eis elevavit etiam policem, sicut naturaliter evenit, quasi excaecare eum vellet utroque; Graecus autem credidit, quod Trinitatem ostenderet. Item Graecus apertam manum ostendit, quasi ostenderet omnia nuda et aperta Deo, stultus autem timens maxillatam sibi dari, pugnum clausum quasi repercussurus levavit. Graecus intellexit, quod Deus omnia clauderet palma, et sic credens Romanos dignos legibus, recessit.

68] Niebuhr. l. c. I. p. 332. sqq. praecipue Tomo II. p. 16. sqq.

urbem Romanam venisset, Decemqueviris ex lingua graeca in latinam leges Solonis vertisset, statuamque in foro ab hanc rem positam habuisset 69). Equidem etiam ipsum Plinium, si liceret, interrogarem, ubinam locorum Hermodorus ille linguam latinam didicisset, adeo perfecte ut leges in ea scribere posset? Quod autem statuae illius mentionem fecerit, neque hoc nos movet, cum et ipsi licet ad ripas Vistulae tumulum *Craci* et *Vandae* videamus, tamen non credimus Vandam in flumine Vistula submersam fuisse.

Sed his missis, gravius argumentum nobis adest, ipse Cicero qui in *libro I. cap.* 44. *de Oratore* dicit: „Fremant omnes licet, dicam „quod sentio: bibliothecas mehercule omnium „philosophorum unus mihi videtur XII. tabu„larum libellus, si quis legum fontes et capi„ta viderit, et auctoritatis pondere et utilitatis „ubertate superare: quantum praestiterint nostri „majores prudentia ceteris gentibus, tum facil„lime intelligetis, si cum illorum Lycurgo et „Dracone et Solone nostras leges conferre vo„lueritis. Incredibile est enim, quam sit omne „jus civile praeter hoc nostrum inconditum ac „poene ridiculum."

69] de Hermodoro illo cf. *Menagius* ad Diogenem Laert. IX. 2.

Luculentissimum rei probandae documentum hoc esse puto, ad opinionem adversariorum nostrorum refellendam. Nam certo Cicero non invectus esset adeo in leges Solonis, si illas putaret legum XII. Tabularum fontes.

Si omnia consideramus quae ansam condendis XII. Tabular. legibus dederunt, adparent patricii consulto de illis ferendis plebi concessisse, quo facilius possent Tribuniciam potestatem abolere. Decem enim viri 70) creati sunt, legibus scribundis constituti, et quidem omnes e patriciis, e plebeis vero homines patriciis faventes 71). Horum dominationem plebs non diu passa, eos expulit. Servavit tamen eorum leges, ut id quoque fecit cum reges expulisset.

De legibus his variae sunt variorum opiniones. Cicero et Tacitus l. c. quam maxime eas laudant. Vituperat vero Favorinus philosophus apud Gellium (Noct. Atticar. libro XX. cap. I.) quem Sabinus JCtus refutat. Judicium Favorini utpote philosophi, qui indolem gentis et ingenium aetatis, cui scriptae leges erant non respiciens eas vituperat, jus quod rationi magis congruit illis praeferens, reiiciendum est. Observamus autem leges XII. Tabu-

70] Niebuhr l. c. T. II. p. 107.
71] Niebuhr l. c. T. II. p. 122.

lar. tam publicum quam privatum jus complexas fuisse, ut mos erat leges conscribendi omnibus fere antiquis populis. Nec id aliter fieri potuit, cum jus privatum apud antiquos sacris ritibus conjunctum esset.

Conditae XII. Tabular. leges in publico adfixae erant, quo melius a quovis cognosci possent. Diruta urbe a Gallis in incendio perierunt teste Livio VI, 1. Restitutae tamen ex exemplaribus privatis usque ad Justinianum fere perduraverunt, si vera sunt quae S. Cyprianus in Epistola 2. dicit.

Fragmenta earum diligentissime conquisivit *Jacobus Godofredus* eaque Genevae 1653 sub titulo *Quatuor fontes juris civilis* edidit. Bachius omisso ejus Commentario, verba legum recudi in Historia sua jussit. Appellavit autem Godofredus id opus quatuor fontes, quia re vera quatuor sunt ex quibus antiqua Jurisprudentia restitui potest. 1, Leges XII. Tabular. ab Godofredo illustratae. 2, Edictum praetorium, sive Edictum perpetum, quod illustraturus est Haubold Professor Lipsiensis 72). 3, Lex Julia et P. Poppaea, quam optime recensuit Heineccius Amstelaedam 1731, quod opus optimum ex illis est quae in lucem ille auctor edidit. 4, Scripta Ma-

72] cf. Hugo Civilist. Magaz. II. p. 283.

surii Sabini, in quae Ulpianus est commentatus in quae nullus Commentarius scriptus hucusque exstat.

Praeter Godofredum scripserunt Commentarios in XII. Tabular. leges Eberhardus Otto in praefatione ad celeberrimum suum Thesaurum Juris, et Funccius. Hos imitatus est, vel potius quoad verbum exscripsit Carolus Bouchaud, professor Parisiensis in libro gallico *Commentaire sur la loi de XII. Tables Paris* 1804 *Vol.* 2. 73)

Paucis nunc de ratione qua Godofredus celeberrimum hoc Corpus juris restituit, dicendum videtur.

Godofredus recte se facturum putavit, si libros Ciceronis de legibus secutus, omnia eo ordine componeret, quo et ipsi auctores classici leges XII. Tab. colligi putarent, et quo id contextus ipse, et ordo rerum posceret. Sequutus est nonnunquam ipsum ordinem Pandectarum, nonnunquam Gajum, cujus in XII. Tabularum leges Commentariorum fragmenta in Digestis exstant. In allegandis ipsis fragmentis Gaii maxima diligentia adhibenda Godofredo erat, cum ille de legibus XII. Tabular. loquens, nonnunquam leges quibus Romani sub Imperatoribus

73] cf. Haubold. §. 206. pr. p. 119.

utebantur, iis admisceat v. c. *fr*: 233. §. 1. *D. de V. S. fr*. 43. *D. ad Legem Jul. de adulteriis*. In Hoc tamen errasse mihi Godofredus videtur, quod nimium auctoribus classicis verba legum XII. Tabular. citantibus confideret, ac si jam illi religiosissime ea recitarent, quae memoria tenebant. Quod vitium ut effugisset, observandum ei erat, eos semper fere ex ipsa memoria fragmenta legum antiquarum citare, verbaque recentiora cum antiquis mutare, ut *Spaldingius* in Commentariis Academiae Berolinensis ed. anni 1814 id ostendit. Quapropter plurimi nunc exstiterunt v. c. *Erb* et *Unterholznerus*, quorum alter in Hugonis libro Civilist. Magaz. IV. p. 462, alter in Savignij 74) plurima false ab antiquis allegata ostenderunt, v. c. in Ciceronis libro ad Herennium ubi scriptum est: *si in jus vocat atque eat*; cum esse debeat: *si in jus vocat*, atque ejusmodi alias leges.

CAPUT IX.

Status Reipublicae qui?

Concesso lege Canuleia connubio plebeis cum patriciis, discrimen civium paulatim labi, civitatis vero jus majoris haberi coepit. Ad exstin-

guendas patricias familias multum contulere bella perpetua quae Romani gerebant, vita luxuriosa coelibatui dedita, et minus frequentes apud eos adoptiones teste Tacito Annal. XII. 25. qui dicit: ab Atto Clauso usque ad Claudium Imperatorem, nullam adoptionem inter patricios Claudios reperiri. Haec omnia ut diximus, diminuebant patriciorum stirpes. Ad labefactam eorum potestatem contulit quoque quod sensim omnes honores plebei sibi vindicarunt; primum enim Tribunorum militari potestate, mox Consularem, brevi post Praetoris honorem cum patriciis participavere. Neque illos Aedilitas curulis admodum juvit, cum et hunc magistratum paucos post annos primus e plebe Flavius, Appii Claudii libertus, ob evulgatos fastos, gessit.

Lapsa potestas nobilium, non omnium plebejorum sortem levavit. Ob continua enim bella quae gerebant Romani plurima pars plebis aere alieno obligata, vel in campo cum hoste perpetuo certare cogebatur, vel domi a creditoribus capiebatur et opprimebatur. Quod cum Tribuni plebis vidissent, summopere studebant hanc calamitatem a plebe propulsare, favoremque ejus sibi conciliare. His itaque auctoribus lata fuit lex Poetilia Papiria (ann. 428. U. C.), qua cautum est ne nexos ob aes alienum (quos ni creditoribus debitum solvisseut in partes dissecare li-

cuit, ut alio loco id demonstravimus 75), crudeliter tractare liceret. Hanc rem Livius VIII. 28. narrat, quae ejus verba varii varie interpretantur, dicentes: obligationem nexu hac lege sublatam esse. Quod falsum est, cum id solum ea lege constitutum fuisset, ne debitores cruciarentur; quod nostris temporibus Schraderus docuit 76) adducto loco ex Valerio Maximo libr. VI. cap. 1. in quo scriptum est, creditorem quendam punitum fuisse ob male tractatum debitorem, idque duobus annis post illam legem latam accidisse.

Jllis temporibus *tertia secessio* plebis et quidem *in montem Janiculum* accidit, de qua, cum Livii Historiarum liber XI. perierit, solum ex Plinii Histor. Natural. libr XVI. cap. 15. constat. Eodem quoque tempore lata est *lex Hortensia*, (testante Theophilo in paraphrasi ad Instit. libr. I. tit. 2. §. 5. et Gaio in Comment. l. supra cit.) ut patricii plebiscitis tenerentur. Nec minus *lex Maenia*, (de qua Cicero in Bruto 14. cf.) ut senatus in incertum comitiorum eventum auctor fieret. Denique et *leges Aquiliae* de corrupto quadrupedeque aliis damnis illatis, nec minus *leges de manu injectione*, hic referendae sunt, de quibus infra dicemus.

75] Dissert. nostra de Legib. Solonis supra cit. p. 12. 13.
76] cf. Hugo Civilist. Magaz. 2. V. p. 184.

Ex his omnibus patet magnas mutationes a tempore legum XII. Tabular. Romam fuisse passam. In majore tamen rerum conversione versabatur cum Romani subacta fere omni Italia molitiem Graecorum et luxuriem imitari coeperunt, ita ut corruptos mores, quibus Imperium Romanum diu labefactum praeceps denique ruit, paulatim urbem irrepere animadverteris. Severioris virtutis homines, praecipue Cato Censorius, culpam mutatorum civium morum doctrinis artibusque Graecorum attribuebat, immemor, Romanos totius Italiae dominos, mox universum orbem terrarum regnaturos, ita frugi homines, quales laudabantur dum pauperes erant, esse non posse. Non admodum itaque expulsi ab eo philosophi moribus obfuerunt, cum neque illi primi essent, qui elegantiores artes Romam transtulissent, cum ante aliquot jam annos Polybius Achivorum obses, amicus Scipioni Africano, et Panaetius, (de quo multa Cicero in libro de Off. habet,) Romanorum animos ad philosophiam accendissent.

De populo ejusque divisione et quomodo in conciones conveniret ad suffragia danda, ne alienam provinciam invasisse videar, disputare nolo. Hic solum addo, quamvis conventionem, v. c. ad creandos novos magistratus *Comitia* appellatam fuisse. Unde patet quid sibi Tacitus velit

(Annal. I. 15,) cum „regnante Tiberio comi-„tia e campo ad patres translata esse" dicat. Quod multi non intellexerunt licet clarior luce sensus ille sit „senatui ab eo inde tem-„pore quod olim populi erat concessum esse „magistratus creare." Observandum praeterea est, omnia quaecunque magistratus proposuerint, sive de emendandis ipsis legibus, sive de quocunque, etsi singulari casu, *leges* appellari. Errant itaque v. c. Ernesti in Clavi sua Ciceroniana s. v. *lex*, qui verbum legis stricte interpretatur, atque per legem intelligit *legem* proprie sic dictam. Leges tamen in privatas personas latae, illo verbo non appellabantur, sed proprio nomine, id est *privilegiorum*, occurrebant, quod Cicero testatur, libro III. cap. 19. dicens, *privigelia ne irroganto.* Adnumerabantur quoque legibus plebiscita, ut ex lege Galliae Cisalpinae adparet, ubi scriptum est: *lex sive id plebiscitum est* 77).

Quanquam potestas Senatus per legem Hortensiam admodum diminuta fuit, non tamen adeo, ut nonnulli putant, cum et Consulta ejus, sive SCta, vigorem legis haberent, et Appianus de Bello Civili I. 1. testetur, eum pro lubitu munia distribuisse. Quod vero Magistra-

77] cf. Hugo Civilist. Magaz. Band, II. p. 443. Gaii Commentarii I. 3.

tus

us populi attinet, ita res composita erat, ut par magistratus pari, vel major minori, intercedere posset, quod Cicero de Legibus III. 4. affirmat. Constituebatur tamen nonnunquam antequam in sententiam irent, ne quis magistratus intercederet 78). Summus autem honor uniuscujusque magistratus curulis *Jus imaginum* erat de quo Polybius VI. 53. (51.) plura habet, quem locum multi non intellexerunt, v. c. Casaubonus, qui ad h. l. dicit: fuisse jus imagines antecessorum suorum in pompa funebri praeferendi. Schweighäuser ad Polybium Tomo VI. p. 393. ostendit per jus imaginum significari jus homines mercede conductos larva mortuorum induendi, qui in pompa funebri procedentes defunctorum personas significarent.

CAPUT X.

Italia et Provinciae.

Post bellum cum Pyrrho rege confectum omnem Italiam Romanis paruisse constat. Errant tamen qui putant, potestatem absolutam in omnibus ejus partibus Romanos exercuisse. In quem errorem recentiores inde deductos puto, quod crederent Italiae incolas dominationis

78] cf. Hugo Civilist. Magaz. B. II. p. 446.

Romanae pertaesos, bellum, quod *sociale* dicitur, movisse, eoque effecisse ut sibi pari jure uti liceret. Res aliter sese habuit, et hoc si recte explicare volumus, paulo altius repetendum nobis est.

Constat inter omnes, Latinos a Romanis ad lacum Regillum devictos, foedere illis conjunctos fuisse, ea conditione ut uterque populus propriis legibus uteretur, et in periculo sese mutuo adjuvaret. Exceptum fuit, ne civibus Latinarum urbium Romano jure uti liceret, id est, summo jure, quod Quiritium vocabatur. Juris autem Quiritii praecipuum erat, *jus honorum* quod Romani nonnullis civitatibus optime de se meritis tribuere solebant, quae *municipia* vocabantur. Sed admodum paucae illae civitates erant; quapropter aliae, quibus eadem sors atque illis in sublevanda socia Roma fuit, nempe auxilio ei esse, moleste id ferebant, rogabantque, ut sibi idem jus concederetur. Hinc bellum illud atrox, feliciter in gratiam Latinorum Romanorumque sociorum finitum. Constitutum enim ab eo inde tempore fuit, ut quicunque populus Latinus *fundi* factus esset. id est, legibus et institutis Romanis uti vellet, Jure Quiritium gauderet. Unde recentiores novum quoddam *jus fundi* excogitarunt, errore ducti, quod in Latio una urbium *fundi* appellabatur.

Liberas itaque plurimas civitates Romanas fuisse, ex his quae proposuimus patet. Nec scio, unde recentiores in hunc errorem induci possent, cum plurimae civitates Latinae etiam connubium, quod summi juris erat, et commercium, cum civibus Romanis haberent, ut ex auctoribus a Schultingio ad Ulpianeorum fragmentorum tit. V. §. 4. tit. XIX. §. 4. citatis patet. Recentiores equidem inde in hunc errorem deductos puto, quod in nonnullas Italicas provincias Magistratus Roma mitteretur, qui juri dicundo praeesset. Sed hoc minime libertati earum obfuit. Nam etiam in talem statum redactae, civitates, suas leges retinebant, quanquam proprios Magistratus non habebant, Ceterae respublicae, v. c. municipia eo differebant a repnblica Romana, quod non Consules, ut in urbe Roma, sed *Duumviri*, vel *Quatuorviri* Magistratus earum vocabantur. Senatus talium urbium, appellabatur *Ordo*, senatores vero ejus vocabantur *Decuriones.*

Ex tabula Heracleensi discimus nonnulla talium urbium nomina. Erant autem 1. Municipia de quibus supra dictum est.

2. *Coloniae*, quae erant vel *Civiles* vel *Militares*, vel *Latinae*, vel *Maritimae.*

3. *Praefecturae*, id est civitates, in quas ad

jus dicendum Magistratus singularis Roma mittebatur, cf. Brissonius s. v, *Praefectura*.

4. *Fora* vel conciliabula, quibus non omnes partes institutionis civitatum erant.

5. *Vici* quae etsi liberae, eo nomine tamen quo omnes supradictae civitates non appellabantur (fr. 30. D ad Legem Municipal.)

Hic status Italiae erat. De quo consulto egi, quoniam ejus notio, ad recte cognoscendum discrimen civium Romanorum, de quo sequenti capite acturus sum, plurimum confert. Anteaquam de provinciis agam monendum est, multos recentiorum distinguere inter *Jus Italiae* et *Jus Italicum*, quo, nonnullas civitates Italiae, usas fuisse, credunt. Sed ejus generis jus non refertur ad jus Italiae, sed ad *civitates in provinciis Romanis sitas*, quibus concessum fuit sub Imperatoribus eodem Jure, quo Civitates Italiae gaudebant, uti. Argumentum rei probandae idoneum ex ipsis auctoribus qui de eo tractant, quique omnes sub Imperatoribus vixerunt, petiimus. Sunt autem: Plinius in Histor. Natural. III. 3. Digestor liber 50. de censibus. Codex Theodos XIV. 13. Codex Justin. XI. 20. Optime hanc rem nuperrime tractavit Savigny. 79)

79) Abhandlungen in der Berliner Akademie vorgelesen 1814 1815 Berlin 1817.

Qualis autem provinciarum status fuerit, ideo nobis paucis res haec absolvenda esse videtur, quod multae ejus civitates instar urbis Romae, a praetoribus vel viris Consularibus, vel Exquaestoribus, gubernatae erant. Vestigia ejus rei exstant in *fr. 32. pr. D. de Legib. et SCtis*, ubi mentio juris occurrit, *quo urbs Roma utitur.* (fr. 9. §. 3. D. De jure dot. Hugo Civilist. Magaz. II. p. 472.)

Summae rei moderatio non Magistratibus exhibebatur diversis qualis ille erat qui Romae inter cives, et ille qui inter peregrinos lites decidebat, sed omnia gubernabantur uno qui in provincias mittebatur. Nonnullae civitates in provinciis etsi partim oppida foederata partim regulis propriis subditae erant, tamen eo sensu quo urbes Italiae, nempe respublicae, dici non possunt, exceptis illis, quibus Jus Italicum concessum fuit.

CAPUT XI.

Cives quotuplicis generis? 80)

Lege Canuleja anno 310. ab U. C. lata, discrimen inter patricios et plebeios, paene sublatum est. Vetitum id olim fuit ob diversitatem sacrorum, quae alia patriciis alia plebeis erant.

80) praeter auctores a Haubuldo l. c. §. 46. p. 37. citatos cf. Savigny l. supra l.

Ne itaque illa a contrahentibus matrimonium commiscerentur, neve, ut verbis M. Genutii et Curtii Coss 81) in Canulejum latorem illius legis utar: *colluvio gentium, perturbatioque auspiciorum publicorum fieret, ita ut qui natus sit ignoraret cujus sanguinis, quorum sacrorum sit, dimidius patrum, dimidius plebis, ne secum quidem ipse concors*, Decemviri in XII. Tabular. legibus illud conservaverunt. Pervicit tamen plebs lege Canuleja, discrimenque illud non solum gentium et familiarum, sed ipsorum etiam hominum sustulit, cum id paulo post effecisset, ut muneribus quoque omnibus fungi plebeis liceret. Ab eo inde itaque tempore omnes cives Romani aequo jure utebantur. Homines vero triplicis generis in republica Romana erant:

I. Cives, II. Latini, III. Peregrini. Primum de civibus videamus: Jus 82) Civitatis Romanum duabus continetur partibus altera privata, altera publica seu politica, ut nunc loquimur. Priori parti, id est privatae, rursus duo insunt, *Connubium* et *Commercium*, et haec quidem pars et fundamentum et conditio civitatis Romanae

81) Livius IV. 2.

82) cf. dissert. G. Chr. Burchardi *de Infamia* Kiliae 1819 p. 32. sqq.

est, sine qua, civis nemo esse poterat. Cui *connubium* aut *commercium deerat*, ille *nunquam Civis* Romanus, sed qui *solum commercium* habebat, *Latinus*, et qui *utroque* carebat, aut *peregrinus* 83) si liber, aut *servus*, si non liber, erat. Longe secus vero quoad partem politicam; qua qui carebat, tamen civis esse poterat, si connubii et commercii jure gaudebat. Pars haec conficiebatur jure suffragii et jure honorum, quorum hoc erat jus magistratum vel aliam potestatem dignitatemque capessendi, illud vero jus publice et de rebus publicis dicendi. Tam late enim jus suffragii definiendum esse apparet ex quibusdam Digestorum fragmentis v. c. ex *fr.* 8. *D. de munerib. et honorib fr.* 6. §. 1. *D. de decurionib.*

Politicam civitatis partem non necessarie civibus competere, diximus. Hinc descendit civium illa notissima divisio, in *Cives optimo jure* et *non optimo jure*; quorum hi modo connubium et commercium, illi vero jus suffragii quoque et honorum habebant, et simul tribui adscripti erant, quod secus in cive non optimo jure accidit; quare tribubus emovere, erat civem non optimo jure facere. Caeterum cives non optimo jure ejus conditionis erant, alii *propter ori-*

83) Ulpianus in fragm. XIX. §. 4. V. §. 4.

ginem, plures enim civitates in Imperio Romano erant, quibus commercium et connubium, neque tamen jus suffragii et honorum concesserant Romani; alii vero *ex causis personalibus*, quo referendi *Aerarii*, qui erant illi, quibus Censores notae causa jus suffragii et honorum ademerant 84). Erant quoque, quantum quidem ad jus antiquum, *manumissi per censum* 85), et denique *Proletarii* et *Capite Censi*, quoniam hi possessionibus soli carebant 86)

Distinctio Civium, ut paucis absolvam, magis in jure publico quam privato quaerenda est.

Subdividebantur praeterea Latini, in 1, Latinos proprie sic dictos, id est, eos qui tales erant propter originem in civitate jure Latinorum praedita natos, vel qui, ut Gaius (Comment. I. 79) dicit, proprios populos propriasque civitates habebant et erant peregrinorum numero. 2, in eos qui ex causis personalibus non eodem jure utebantur, sive in Latinos Junianos, de quibus monuisse sufficiet, fuisse libertinos ex lege Junia Norbana 772 ab U. C. lata, minus solemne

84) Niebuhr, Histor. Roman. T. I. p. 379. ibique Dionysius 386. sqq. et in supplementis Tomo primo adjunctis, additamenta ad pag. 182. 356. 591.

85) ibid p. 587.

86) ibid. p. 388. 267. 421.

manumissos 87). 3, in Caerites 88). Cum urbs Roma a Gallis incensa esset, omnesque quoquo poterant dilaberentur, sacerdotes et virgines Vestales urbem Etruscam Caere, se contulerunt. Quos cum Caerites benigne excepissent, post restauratam urbem SCto decretum fuit, ut cum Caeritibus publice hospitium fieret, quod sacra populi Romani ac sacerdotes recepisent (Liv. V. 40. 50.) Ab eo inde tempore, facti sunt Caerites participes Juris sacri Romani. 4, in Dediticios hi autem erant, qui quondam adversus populum Romanum armis susceptis pugnaverant, et deinde victi se dediderunt, ut in Gaii Comment. I. 14. legitur; §. 27, libri I. haec Gaius ait: „Quin „et in urbe Roma vel intra trecentesimum urbis „Romae milliarium morari prohibentur, et si

87) De his haec leguntur apud *Gaium Comment III. §. 56.* Latini Juniani dicuntur, olim ex jure Quiritium servi fuisse, sed auxilio Praetoris in libertatis forma servari soliti; unde etiam res eorum paeculii jure ad patronos pertinere solita est: postea vero per legem Juniam eos omnes, quos Praetor in libertate tuebatur, liberos esse coepisse, (scimus) et appellatos esse Latinos Junianos: Latinos ideo, quia lex eos liberos perinde esse voluit, atque si essent cives Romani ingenui, qui ex urbe Roma in Latinas colonias deducti Latini coloniarii esse coeperunt: Junianos ideo, quia per legem Juniam liberi facti sunt; etiamsi non cives Romani. *Lib. I. §. 23,* Non tamen illis permittit lex Junia nec ipsis testamentum facere nec ex testamento alieno capere, nec tutores testamento dari.

88) Niebuhr, l. c. T. I. p. 326.

„contra fecerint ipsi bonaque eorum publice venire jubentur ea conditione, ut ne in urbe Roma vel intra centesimum urbis Romae milliarium serviant, neque unquam manumittantur; et si manumissi fuerint, servi populi Romani esse jubentur." Fiebat autem quilibet condicionis hominum supra dictarum classium:

1. si talis natus erat.

2. Si manumissus a domino, quolibet illorum jurium utente (Gaii Comment I. §. 35.)

3. Lege, id est, jubente populo in Comitiis. Nonnunquam libera republica imperatoribus concedebatur, devictis gentibus vel jus Civitatis vel Latinitatis tribuere.

4. Ex causis quas Ulpinus in fragm. III. exponit. cf. Gaii. Comment. I. §. 33. etsi admodum lacerati illo loco.

5. Praeterea Latinus fiebat civis Romanus.

a.) Si relicta patria familiaque sua, Romam commigraverat. (Livius XLI. 8. Heineccius ad legem Jul. et P. P. p. 8. 9. ed. I.)

b.) Si in patria sua magistratu functus, eo consilio se illo abdicaverat ut Romae habitaret (Sigonius de Jure Italiae I. 4.)

c.) Si repetundarum accusatus erat a cive Romano, eumque falsi criminis coarguit, tunc

accusator ejus conditionis fiebat, ille vero accusantis. 89)

CAPUT XII.

De magistratibus apud quos lege agere licuit.

Qui qualesque magistratus Romani ad jurisprudentiam perfectiorem reddendam, expoliendam, vel eam ampliandam contribuerint, supra, quantum res exigebat, protulimus. Admodum paucos eorum fuisse ibidem vidimus. Nec magno numero eorum opus fuit, cum omnia secundum leges XII. Tabular. dijudicarentur. Talibus rebus Consules sese occupavisse monuimus. Cum tamen illi, exercitu contra hostem ducto saepius quam olim, urbe abesse cogerentur, jam sub regibus, ne urbs sine imperio foret, in tempus deligebatur, qui jus redderet, atque subitis mederetur; eum appellatum fuisse *Praefectum urbi* Tacitus (Annal. VI. 11,) testis est. Sed hic cum ad tempus solum crearetur, alium constituere Romanis visum est, qui, cum Senatus administrandae reipl. vacaret, iis partibus fungeretur quibus Consules, cum domi erant, pro maxima parte occupabantur, id est, juri dicundo.

89) Cicero in Orat. pro Balbo cap. 23. 24.

Creatus itaque est collega consulum, *Praetor* dictus anno 389 ab U. C. apud quem cives lege agere possent; quique inter eos jus diceret. Ratio qua ille jus dicebat, nonnullos recentiorum, praesertim Heineccium 90) moverunt ad eum calumniandum. Cum enim potius ex aequo et justo quam ex jure stricto praetor jus diceret, perversitatis eum Heineccius arguit, quod posthabitis sanctissimis legibus, secundum suam voluntatem omnia perverteret. Fallitur ille, falluntur que omnes qui talia dicunt. Praetor enim cum talia faceret, non pro lubitu id gessisse apparet, cum ea solum in Edictum suum, (qualia omnes fere magistratus edere cogebantur,) reciperet, quae populus tacito consensu adprobaverat. Haec Heineccii verba cum jam Cortius Ritterus 91) et Bachius (in Historia Jurisprud. Rom. p. 218 sqq.) profligasset, nobis ea addidisse sufficiet, quae ibi vel non leguntur, vel admodum strictim exposita sunt.

Inprimis gravissimum hujusce rei testem ipsum Ciceronem adducimus, qui licet contra Verrem admodum acerbe disputavisset; tamen id vitium quod pro lubitu edictum mutaret, non ipsi instituto, sed culpae hominis tribuit.

90) Antiquit. I. tit. 2. §. 24. p. 52. edit. Frf. ad Maenum 1771.

91) Ad Heineccii Histor. Juris p. 127. (ed. l.)

Si itaque apud nonnullos legimus: „ambitiosos „praetores varie jus dicere solitos fuisse" id non edicto sed praetoribus ambitiosis tribuendum est; nam ipse Papinianus fr. 7. §. 1. D. de J. et J. ait, *adjuvandi, vel supplendi, vel corrigendi juris civilis gratia, propter utilitatem publicam id introductum*, et fr.. 8. D. eod. tit. dictum est, *edictum vivam vocem juris civilis esse.* Nec minus Pomponius fr. 2. §. 10. D. de O. Juris ait: *Magistratus jura reddidisse, et ut scirent cives, quod jus de quaque causa quisque dictarus esset, seque praemunirent, edicta proponebant. quae edicta praetorum jus honorarium constituerunt.* Dicit autem Pomponius h. loco, edictis se praetores pramunivisse, quod de praemunitione contra tribunos plebis, a praetoribus factis, intelligimus. Cum enim praetores initio magistratus sui edixissent; qua ratione jus dicturi essent, causam praebebant tribunis plebis intercedendi, si injustae leges illae propositae iis viderentur. Vestigia ejus rei in multis locis Corporis Juris exstant. v. c. fr. 1. pr. D. Ut ex legib. ubi praetor de bonorum possessione heredibus danda, ita edicit: *uti me quaque lege, senatusconsulto, bonorum possessionem dare oportebit, dabo.* Maximum autem documentum preabet Theophilus in paraphrasi ad § 7. Inst de Jure Nat. Gent. et C.

Ad refellendam opinionem Heineccii ejusque sectatorum plurimum quoque valet, quod municipia ipsa Romana praetorio jure utebantur, vel nonnullas partes praetorii edicti in sua edicta transferrebant. Legimus itaque in lege Galliae Cisalpinae (v. 24. ex edit. Hugonis), cautum fuisse „ut Magistratus urbis cui lex illa scripta „erat, eam stipulationem observaret, quam is, „qui Romae inter peregrinos jus dicit, in albo „propositam habuerit." Nec minus in Tabula Heracleensi (v. 147 ex edit. Marezolli,) commemoratur formula census, „quae Romae ab eo, „qui tum censum populi acturus erit, propo„sita fuerit."

Denique ipsum Ciceronem, infestissimum praetori Siciliae Verri adducam, qui II. 22. De Invent. haec habet: „Consuetudinis autem jus „esse putatur id, quod voluntate omnium sine „lege vetustas comprobavit. In ea autem ju„ra sunt quaedam ipsa jam certa propter vetu„statem, quo in genere et alia sunt multa, et „eorum multo maxima pars quae praetores edi„cere consueverunt."

Praeter illum praetorem qui inter cives jus dicebat alium instituerunt Romani, qui inter cives et peregrinos jus diceret, secundum jus gentium, cum jure civili uti peregrinis vetitum esset. Hunc nonnulli *Praetorem peregrinum*

vocant Proponebat ille edicta ita ut praetores urbani (*fr*. 9. §. 4. *D. de dolo malo*). De illo et praetore urbano cf. Gaii Comment. I. 6. qui haec habet: „Jus autem edicendi habent magi„stratus populi Romani. Sed amplissimum jus „est in edictis duorum praetorum, urbani et „peregrini: quorum in provinciis jurisdictionem „Praesides earum habent." Quo tempore is introductus fuerit, certo determinari non potest, licet varii vario modo id coniiciant.

Tertius magistratus apud quem lege agere licuit, erant *Aediles*, et quidem *curules*, qui cum rerum venalium curam haberent, causas inter homines tempore nundinarum decidebant. Proponebant quoque edicta ita ut praetores supra dicti. 92)

C A P U T XIII.

De plebiscitis et legibus praecipuis.

Plebiscitorum Romanorum magnus numerus illa aetate fuit. In condendis iis summa adhibebatur diligentia, ne in utramque partem explicari possent. Quapropter saepe in fine legis

62) De his haec apud Gaium l. c. deprehenduntur: item in edicto Aedilium curulium: quorum jurisdictionem in provinciis populi Quaestores habent; nam in provincias Caesaris omnino Quaestores non mittuntur, et ob id hoc edictum in his provinciis non proponitur.

vel plebisciti solemnis adiiciebatur formula his verbis concepta: *ex hac lege nihil rogatur.* Glück in commentario suo ad Pandectas falso plebiscita appellat leges privatas; leges enim privatae sunt formulae quibus contrahebatur emptio, venditio.

Quanquam admodum magnus numerus plebiscitorum fuit, admodum tamen parvus apparebit si illa ad jus privatum referre voluerimus. Teste enim Cicerone (in Orat. pro Balbo cap. 8.) plurima pars eorum de jure civili ferebatur. Inepte itaque Heineccius fecit, qui in principio Institutionum suarum Livii Historiar. (III. 34.) verba citat conquerentis *de immenso aliarum super alias acervatarum legum cumulo*, cum haec ejus verba ad jus privatum non referantur. Quapropter Hoepfnerus (in Commentario Instit. ad illum Heineccii locum,) ac si omnes qui se legerint mente captos fore putaret, adiicit: „majorem numerum legum fuisse quam eum a Heineccio proditum, cum constitutiones Imperatorias ille „omisisset."

Plebiscitorum fere omnium Tribuni plebis conditores erant, qui cum quotidie inter plebem versarentur, multoties conspicere poterant, quid juri desit, qualique lege id augi debeat. Hac ratione nonnulli, v. c. Bachius l. c. chrono-

nolo-

nologice ea in ordinem redigere volebant. Quod nullo modo recte absolvi potest, ut ipse Bachius id expertus est, cum plurimarum legum, neque annum, neque nomen latoris sciamus. Nobis itaque sufficiet eas solum recensere, quae in primis ad Jus privatum referri videntur.

Plebiscita quae deficientibus nobis fontibus hucusque ignorabamus, primumque ex Commentariis Gaii certiores de illis facti sumus, ad calcem hujus capitis exponemus. Hucusque fuere nobis nota

1. *Lex Poetilia Papiria*, de qua cf. Caput IX. Historiae nostrae. (a: 428 ab U.C.)

2. *Lex Aquilia*, de damno injuria dato. De hac lege sequentia in Commentariis Gaii III. 210 legimus: *Damni injuriae actio constituitur per legem Aquiliam, cujus primo capite cautum est, ut si quis alienum hominem alienamve quadrupedem, quae pecudum numero sit, injuria occiderit: quanti ea res in eo anno plurimi fuerit, tantum domino dare damnetur* Haec uberrime explicuit Gaius l. c. III. 2. II qq. In Institut. Justinianeis §. 12. ad Leg. Aquil. legimus: *Caput secundum legis Aquiliae in usu non est* Multi sese torquebant quid in secundo capite statutum fuerit; nunc ex commentariis Gaii III. 215. id compertum habemus, ubi haec leguntur: *Capite secundo in adstipulatorem, qui*

pecuniam in fraudem stipulatoris acceptam fecerit; quanti ea res esset actio constituitur. Dicunt compilatores Instit. Justinianearum: *Capite tertio de omni cetero damno cavetur*, quod verbotenus ex Gaii Commentariis (III 217) exscriptum est.

3. *Lex Plaetoria*, (non Laetoria, ut Heineccius (l. c. p. 174) et Ernesti in sua clavi Ciceroniana dicit) (cf. Hugo R. R. Gesch. §. 170 nota 1.) lata fuit *de circumscriptionibus adolescentium.* Annus pubertati apud Romanos erat foeminis 12. maribus vero 14. quo finito adolescentes sub tutela esse desierunt, cum mulieres contra sub perpetua tutela essent. | Apparuerunt tamen saepius juvenes etsi puberes tamen non idonei rebus suis bene moderandis. Quapropter praetores in Edictis proponebant, se negotia de quacunque re cum puberibus contracta non ratihabituros nisi apparuisset, in contrahendis illis adolescentes non fuisse laesos. Cum autem quilibet adolescentium negotium contractum rumpere potuisset, dicens illud sibi damnosum esse, omnes gravabantur cum illis contrahere. Quod ne fieret edixerunt praetores, illam legem non competere adolescenti vicesimum quintum annum agenti, cum is utpote rationis capax credi possit, se decipi non passurum. Constitutum praeterea fuit, ut quicunque

cum adolescente minore viginti quinque annis contrahere voluerit, praesente tertio aliquo viro spectatae virtutis id faciat, ne periculum incurrat, rescindendi negotium suum. Hinc accidit, ut ipsi adolescentes cum negotium majoris momenti perficere vellent, tutorem ad eandem rem sibi dari poscerent. Ejus generis tutor appellabatur *Curator*.

4. *Lex Cincia de donis* et *muneribus* 93) Apud veteres Romanos officium patroni erat clientem suum in judicio defendere et quidem gratis. Seriori tempore cum plebei homines doctiores patriciis viderentur, quilibet potius hominem plebeium quam patricium rogare mallebat, ut sibi vel de jure responderet, vel se in judicio defenderet. Tales homines vulgo *Patroni* appellabantur, eo discrimine, quod cum patroni patricii gratis defenderant, hi patroni plebei pretium laboris poscebant. Quale autem pretium id esse debuerit, per legem Cinciam, a M. Cincio Alimento Tribuno plebis a. U. C. 550. latam, destinatum fuisse vulgo creditur. Legem hanc Ulpianus in fragm. I. 1. appellat „*minus quam perfectam*, quia prohibet do- „nationes, exceptis quibusdam cognatis, et si „plus donatum sit non rescindit." Non exstant

93) cf. Savigny in Zeitschrift. etc. Tomo IV. p. 1. sqq.

verba legis ita scripta ut ea protulimus; fragmenta enim Ulpianea l. c. lacerata sunt. Cujacius, quod illis verbis restituerit hanc legem a Savignio (l. c. p. 23.) laudatur. Legem Cinciam tribus capitibus constitisse affirmant multi recentiorum, quos Savigny (l. c. p. 2. sqq.) citat et refutat, ipseque, ut mea fert opinio, optime docet (l. c. p. 17.) non esse dissecandam in minutas partes legem nostram, cum circa omnes donationes ultra modum lege praescriptum versari videatur, quae in gratiam cujuslibet, exceptis certis personis, fiat; ita quidem ut si perpetua ac constans voluntas donandi ultra modum praescriptum lege tibi sit, id facere non possis nisi re illa vel emancipata aut in jure cessa, (ut antiquo jure receptum fuit,) vel voluntate tua de donatione coram magistratu declarata (ex praescripto Justiniani) 94). Quod cum ita sit, nihil opus est, ut cum Hugone legem nostram, de illis solum donis quae patronis a clientibus fiebant, latam intelligamus.

5. *Lex Furia.* Hanc quoque legem Ulpianus fr. I. 1. „*minus quam perfectam vocat*, „quia vetat aliquid fieri, et si factum sit non re„scindit, sed poenam iniungit ei, qui contra le„gem fecit." Lex autem Furia est *lex testamen-*

94) cf. Dissert. nostra de Vita Decii p. 109. sqq.

taria, quae plus quam mille assium legatum; mortisve causa prohibet capere, praeter exceptas personas: et adversus eum, qui plus ceperit, quadrupli poenam constituit (cf. Gaii Comment. II. 225.). Quo tempore lata fuerit, ignoramus; scimus tamen ante legem Voconiam latam fuisse testante Cicerone pro Balbo cap. 8. quocum consentit Theophilus in paraphrasi ad Instit. II. 22. pr.

6. *Lex Voconia*, de qua varii varia fabulantur, quos citavimus et refutavimus (in Dissert. nostra de vita Decii p. 98.) Lata autem lex Voconia (cf. Gaii Comment. II. 226. 274.) erat ad opprimendum luxum mulierum, cum ea cautum fuisset ne foemina extranea ab illis institueretur heres quibus census non mediocris esset. (cf. Collat. L. Mos. et Rom XVI. §. 3.)

7. *Aelia Sentia*, duplex ejus nominis lex occurrit, ut mea fert opinio: altera sub Augusto, qua cautum fuit, ne servi sceleris causa publice caesi, vincti, aut torti, aut stigmate usti, a dominis libertate donarentur 65); altera quae occurrit apud Ciceronem in Topicis §. 2. qua cavetur ut assiduo assiduus vindex sit, locupleti vero locuples. Assiduum idem significare quod locupletem, testisest Gellius (Noct. Att. XVI. 10.);

95) cf. Heineccius in Antiquit. I. 5. §. 11. nec minus. 6. §. 1. 2. 3.

itaque hoc loco locupletis verbum puto appositive scriptum esse, ac si Cicero dixerit: „assiduum assiduo, id est locupletem locupleti „vindicem esse debere." Quod vero ipsam legem attinet, errat quam maxime Ernesti in sua clavi Ciceroniana s. v. lex Aelia Sentia, qui verbo Aelia *Sentia* deleto exstare mavult solum verbum *lex*. Putat vir doctus omnia explicita fore, si per verbum legis, intellexeris leges XII. Tabular. Quod minime probamus, cum etiam apud Böethium nomen legis Aeliae Sentiae occurrat, vel ut nonnulli libri MSCr. ejus Topicorum habent *Aeliae Sanctiae*. Recentissimus tamen Topicorum Ciceronis Commentator van Lynden, in edito suo opusculo: *Interpretatio Jurisprudentiae Tullianae in Topicis expositae* Hagae Comitum 1805 Ernestii opinionem sequitur.

8. De lege *Atilia*, *Atinia*, *Hostilia*, *Licinnia*, et *Mamilia*, in Jnstitutionibus dicturi sumus.

9. *Lex Scribonia*. Mentio ejus occurrit in *fr*. 4. §. 29 *D. de Usurpat, et Usuc.* ubi scriptum est: „libertatem servitutium usucapi posse verius est: quia eam Usucapionem sustulit lex „Scribonia, quae servitutem constituebat non „etiam eam, quae libertatem praestat sublata „servitute." Scimus ex Pandectis, servitutes nun-

quam usucapi posse (*fr.* 14. *pr. D. de Servitut.*); quapropter cum lex Scribonia theoriam servitutum subferre videatur, plurimi spuriam esse eam putant. Unterholznerus 96) optime hanc legem cum fragmento Digestorum supra laudato conciliavit, docuit enim: cum differat servitus praediorum rusticorum a servitutibus urbanis, cumque usus utrarum servitutum varius sit, jura etiam illis competentia differre oportere. Itaque cum possessione fundi recessero non ea voluntate ut possessionem amittam, fundum amisisse non puter, rem vero mobilem simulatque possessione ejus recessero in perpetuum amisisse intelligar, commode eam theoriam servituti praediorum rusticorum adaptari posse ostendit, cum secundum Pauli opinionem (fr. 14. pr. D. de Servitut.) tales sint servitutes illae, quae non habeant certam continuatamque possessionem, cum nemo perpetuo tamque continenter ire possit, ut nullo momento possessio ejus interpellari videatur. Alio modo rem sese habere cum servitutibus praediorum urbanorum, quarum usum si omitto, eo ipso probo illo mihi opus non esse, neque impediri eum qui talem servitutem mihi constituerat, quominus libertatem ejus usucapiat. Hoc autem per legem Scriboniam fuisse sublatum Unterholznerus docuit.

96) Die Lehre von der Verjährung Breslau 1815 p. 43.

10. *Lex Titia, Publicia* et *Cornelia*, ne in pecuniam ludere liceret, excepto si quis virtutis causa certat, ut hasta, vel pilo jaciendo, vel currendo, saliendo, luctando, pugnando, (cf. fr 2. 3. D. de Aleatoribus.)

Leges quae nobis ex commentariis Gaii innotuere, sunt:

11. *Lex Apuleia* ut sponsores et fidepromissores pro sua portione solvant; de eo vero quod amplius quisque eorum dederit, adversus ceteros actionem habeat. Furia lex in Italia, lex Apuleia vero in ceteris regionibus obtinebat. (Gaii Comment. III. 122)

12. *Lex Furia* ut sponsores et fidepromissores biennio liberentur, et quotquot fuerint numero eo tempore, quo pecunia peti potest, in tot partes inter eos obligatio deducatur; fideiussores vero ut perpetuo teneantur, et quotquot fuerint numero singuli in solidum obligentur (Gaii Comment. III. 121.)

13. *Lex Anonyma*, qua cavetur: ut is, qui sponsores aut fidepromissores accipiat, praedicat palam et declaret, et de qua re satis accipiat, et quot sponsores aut fidepromissores in eam obligationem accepturus sit: et nisi praedixerit, permittatur sponsoribus et fidepromissoribus intra diem XXX. praejudicium postulare, quo quaeratur, an ex ea lege praedictum sit: et si

udicatum fuerit, praedictum non esse, liberentur. (Gaii Comment. III. 123.)

14. *Lex Cornelia*, qua idem pro eodem, apud eundem eodem anno, vetatur in ampliorem summam obligari creditae pecuniae, quam in XX. millium (Gaii Comment. III. 124.).

15. *Lex Publilia*, qua sponsores propriam habent actionem in duplum, quae appellatur *depensi* (Gaii Comment. III. 127.).

16. *Lex Pinaria*, de qua occurrit mentio apud Asconium Pedianum (cf. a Goeschenio citata loca ad Comment. Gaii IV. 15. admodum h. l. laceratos).

17. *Lex Silia*, qua codictio certae pecuniae et *Lex Calpurnia*, qua condictio de omni certa re, constituta est (Gaii Comment. IV. 19.).

18. *Leges* de *manu iniectione*, quae variae fuerunt, ut *Lex Publilia* quae dabatur in eum, pro quo sponsor dependisset, si in sex mensibus proximis, quam pro eo depensum esset, non solvisset sponsori pecuniam; *Lex Furia* de sponsu adversus eum, qui a sponsore plus quam virilem partem exegisset; *Lex Marcia* adversus foeneratores, ut si usuras exegissent, de his reddendis per manus iniectionem cum eis ageretur, (Gaii Comment. IV. 21. sqq.).

sponsi ad partem — et sponsor.

CAPUT XIV.

De SCtis.

Diximus supra Tiberium e Campo in curiam comitia transtulisse. Ex quo loco multi colligere voluerant, ab eo primum inde tempore datam fuisse potestatem senatui legum ferendarum. Hanc opinionem tuetur Heineccius, et alii quos citat (Antiquit I. 2. §. 45. sqq. et in Historia l. c. p. 190 sqq). Id Bachius 97) refutavit, adhibitis variis argumentis, quorum nonnulla cum sint minus recte adhibita, operae pretium videtur, hanc rem denuo tractare.

Dicit Tacitus Annal. I. 15. „Tiberio imperante primum e Campo comitia ad patres translata esse, Senatumque largitionibus ac precibus sordidis exsolutum libentem id tenuisse, moderante Tiberio, ne plures quam quatuor candidatos commendaret, sine repulsa et ambitu designandos." Hunc locum misere multi torserunt; quo tamen, si eum accurate spectaverimus, nihil aliud Tacitus dixisse apparebit, nisi, ab eo inde tempore concessum fuisse Senatui magistratus creare.

Consideremus causas quae recentiores movere, ut Senatui abnegarent facultatem legum ferendarum libera republica vigente. In primis

97) l. c. p 88.

Polybii librum sextum citant, in quo nihil de hac re legatur. Sed hoc minime nobis repugnat, cum Polybius Historicorum more in concinnandis illis libris se gesserit, adeo quidem ut discrimen plebiscitorum et legum, ne verbo quidem, tetigisset. Nec illi opus fuit, ut mea fert opinio, anxium in ea re esse, differentiamque legum plebiscitorum et SCtorum nos docere, cum sub verbo legis omnia illa comprehendantur. Adde quod pro maxima parte liber sextus Historiarum Polybii laceratus est. Quid itaque nos vetat affirmare, eum ipsum locum ejus Historiae desiderari, quo tale quidquam tradidit?

Alia argumenta quibus opinio adversariorum nostrorum refutari potest, praebent:

1. Tabula Heracleensis v. 72. (ed. l.) in qua legibus et plebiscitis adnumerantur SCta ejusdem valore praedita, quo ipsae leges.

2. Cicero in Topicis cap. 5. qui dicit: jus civile esse id, quod in legibus, *SCtis*, rebus iudicatis, juris peritorum auctoritate, edictis magistratuum, more, aequitate consistat.

3. Pomponius in fr. 2. §. 9. de C. J. qui fontibus juris civilis SCta adnumeravit.

Ulpianus in fr. 7. §. 7. D. de Pactis, qui affirmat in Edicto praetorio adscribi SCta fontitibus juris.

5. Accedit Gaius (in Comment. I. 4.) apud quem legimus: „Senatusconsultum est, quod „Senatus jubet atque constituit. Idque legis „vicem obtinet; quamvis fuit quaesitum."

CAPUT XV.

De Edictis Magistratuum.

Obtinuit Romae ut Magistratus cujusvis ordinis, quolibet anno confecto, rationes populo redderent de munere quo erant functi. Reddebant autem vel ineunte vel in medio vel elapso anno. Id appellabatur *Edictum*, quia primum edicebant per praecones quo modo egerint vel acturi essent in administranda re publica, deinde illud in publico adfigi jubebant. Edicebant autem omnes fere magistratus 98) qui in condendo jure civili participabant cum populo. De Edictis Consulum aliorumve magistratuum tractent illi quorum est de Antiquitatibus Romanis disserere. A nobis vero illa Edicta solum illustrabuntur, quae Praetores et Aediles curules 99) adfigebant. Haec autem occurrunt sub nomine *Edicti Praetoris*, vel *Edicti Praetorii*,

98) Gaius in Comment. I. 6. „Jus autem edicendi habent „magistratus populi Romani."

99) de quibus rebus potissimum edicerent Aediles videre licet apud auctores quos Niebuhr l. c. T. II. p. 419, 420. citat.

aut sub *Edicti Aedilii* nomine; raro sub nomine *Edicti Aedilitii*, nam tantummodo in rubrica Pandectarum *de Aedilicio Edicto* hoc vocabulum occurrit. Edicta, quae magistratus in provinciis edebant, nomen *Edictorum provicialium* audiunt, nunquam *Edictorum proconsularium*, licet Proconsules provincias moderarentur. Varia autem genera Edictorum erant. Deprehenduntur enim Edicta de rebus prout inciderint proposita; nec minus Edicta *jurisdictionis perpetuae* causa constituta, sive *Edicta perpetua.*

Quid Edictum perpetuum sit, multi non intellexerunt, quos hic recensere non lubet, cum omnes fere praeter Hugonem falsa opinione imbuti deprehandantur (R. RGesch. § 177). Res tamen ipsa facilis intellectu est ut infra ostendemus. Quod hic quodammodo praecipientes observamus, Magistratus Romanos edicere solitos fuisse solum in id tempus quo munere suo functuri erant. Edictum itaque perpetuum est, ex quo perpetuo jus dicebant munere de mandato fungentes. Id probat Ulpianns (fr. 7. pr. D. de jurisdict. 1.) qui distinguit inter causam perpetuae jurisdictionis, et inter causam jurisdictionis prout res incidit. Jus ejusdem generis vocatur nonnunquam *Jus Honorarium*, vel *Jus Praetorium.* Honorarium ideo, quia illi qui Edicta

proponebant honoribus fungi dicebantur, quales omnes magistratus curules erant.

A quo tempore Praetores edicere consueverint variae sunt opiniones. Giphanius in libro quod *Oeconomia juris* inscribitur (p. 122.) dicit, post legem Corneliam id accidisse, quod nobis falsum esse videtur, cum lex Cornelia, a Tribuno plebis C. Cornelio anno U. C. 686. lata esset, tribus annis postea quam Cicero Verrem accusaverat (cf. Historia Ciceronis per Consules descripta p. 31. ed. Ernesti). Cum autem in Verrina I. 2. 44. haec legantur: *posteaquam jus praetorium constitutum est, semper hoc jure usi sumus*: manifestum est jam ante eam orationem a Cicerone dictam Praetores edicere solitos fuisse.

Edicebant tam Praetores quam Aediles in *Albo*, et quidem eo loco, quo de plano recte legi posset. Magistratus qui edicit, semper in prima persona loquitur, v. c. DABO, NON DABO, SERVABO. Quapropter Praetor *pollicetur*, *proponit* de specie juris. Nec inde colligas velim, potestatem absolutam praetorem exercuisse, cum hoc solum ediceret, quod observare legibus tenebatur. Quapropter etiam in *Pactis Conventis* reges Polonorum olim jurabant *se debere et velle ex praescripto rempublicam*

administrare; cum licet reges essent, praescriptum illis fuisset, quid velle debeant. Nonnulla tamen loca Corporis Juris 100) citari possunt, in quibus Praetor modo jussivo sive imperativo loquitur, sed neque ea loca dummodo recte ea introspexerimus contradicentia nobis adparebunt, quia Praetor nihil agit, nisi praemonet homines, se bonorum possessionem non daturum, si ea, quae edixerat non observaverint.

Hugo 101) comparat Edictum Praetorium cum nostris Codicibus sic dictis *Processualibus* (*Procedure*), quia commixtim tam jus civile quam actiones et formulae judiciariae, in Edicto Praetorio deprehendebantur. Quod negari non potest, multa enim in Codice Napoleoneo processuali inveneris, quae etiam in Codice Civili deprehendes. Attamen si observas Romanos non fuisse solitos segregare actiones et formulas judiciarias a jure civili, cum unius corporis membra dividere nollent, non secundum opinionem Romanorum illa dixisse Hugonem videbis, cum ex opinione ejus elici possit, circa judicia magis quam circa ipsum jus privatum versatum esse Edictum Praetorium.

100) v. c. fr. 1. §. 10. D. de inspiciendo ventre, et fr. 1. D. de his qui notantur infam.

101) R. RGesch. §. 178.

CAPUT XVI.

Responsa Prudentum.

Jus Romanum, quod primum moribus et consuetudine invaluit, dein legibus et Edictis Magistratuum auctum erat, a JCtis vero expolitum et perfectius redditum fuit, *Jus civile* appellabatur, quo melius a *Jure gentium* distingueretur. Jus autem civile varia significat: nonnunquam enim jus Praetorium, nonnunquam leges in Comitiis latas comprehendit. Id jus tamen praecipue sub nomine *juris civilis* intelligimus, quod ex disputatione JCtorum, vel ut Pomponius fr. 2. §. 5. D. O J. ait, *ex interpretatione* et *disputatione fori*, ortum est. Idem JCtus l. c. §. 6. dicit: „deinde ex his legibus eodem tempore „fere, actiones compositae sunt, quibus inter se „homines disceptarent, quas actiones ne populus „prout vellet institueret, certas sollemnesque esse „voluerunt, et appellatur haec pars juris legis „actiones i. e. legitimae actiones." Ex quo loco patet, Pomponium legis actiones non adnumerare juri civili; quod mirum videtur, eo magis, quo minus nobis persuademus, a quibusnam nisi a JCtis actiones ejuscemodi compositae fuerint. Equidem putaverim duplici causa fuisse motos Romanos, ne legis actiones, vel legitimas actiones, juri civili adnumerarent: 1, quod cum sole-

solemnes essent, certae esse deberent, ideoque stabiles, cum jus civile contra ab interpretatione fori penderet; 2, ut eas distinguerent ab illis actionibus vel formulis, quas nonnulli JCti composuerunt, secundum quas homines negotia privata contraherent. Actiones ejusmodi occurrunt apud Varronem (de R. Rust. II. 5. 11.) et Ciceronem (de Oratore I. 58.) a quodam Manilio compositae, et appellantur *Manilianae venalium vendendorum leges.* Quod autem ipsum verbum attinet, observandum est verbum *legis actionis* idem significare quod verbum *actus legitimi*; primum tamen, ut omnia verba desinentia in *tio* (v. c. testamenti factio, jurisdictio, tutoris optio, gentis enuptio, cretio, frequentius occurrit in Pandectis quam secundum sive illud quod in *us*, terminatur, nisi excipias fr. 77. D. de R. J. quo loco verbum actio a compilatoribus mutatum esse videtur in verbum actus.

Ut autem ad responsa prudentum accedam, observandum inprimis erit, Jure gentium, quod Praetores in jure dicendo observabant, admodum fuisse auctum Jus civile, cum Praetores vel ex ratione sua, vel ex comparatione variarum gentium consuetudinum jureque, jus illud rigidum vel strictum, supplerent, adjuvarent, corrigerent. Accessit, quod Jurisprudentia apud Romanos

illa aetate non adeo arcte conjuncta erat formulis juris pontificii, ut tempore XII. Tabular. Dividebantur itaque ab eo inde tempore JCti Romani in *Oratores* et *Pragmaticos.* Pragmatici alias Legulei dicti, nonnunquam vero praecones actionum, vel formularum cantores appellati, illi erant, qui omni theoria destituti, speciosis verbis, vel formulis decantatis plebem imperitam in admirationem sui rapiebant, et JCtis theoreticis, qui Oratores appellabantur, praesto erant, quoties illi mentem legis potius quam formulas observantes, orationem in judicio recitandam condere volebant. Talis erat v. c. ille Aebutius, *jurisperitus inter mulierculas, stolidus vero inter viros,* ut Cicero (in orat. pro Caecina cap. 5.) dicit.

Huic tamen disputationi nostrae, gravissimus in hac re testis, ipse Cicero, contradicit, qui in Oratione pro Muraena JCtos theoreticos eorumque scientiam deridet. Omnia haec quae disertissimus ille hominum jactat, Servium Sulpicium, quem in opere suo quod inscribitur *Brutus* cap. 41: 44. admodum collaudavit, spectant. Quem locum nos si cum illa oratione comparare voluerimus, tale judicium ferre cogemur, quale ipse Cicero (De Finibus Bonor. et Malor. IV. 27.) protulit: *apud imperitos tum illa dicta fuisse, aliquid etiam coronae datum.* Quapropter Marcus Cato, illa

Ciceronem proferre audiens, merito dixit: „ridi„culum Consulem habemus.”

Obiicit in primis Cicero JCtis (in Oratione pno Muraena cap. 13.), nihil quidquam tam anguste scriptum esse, cui non possit addi verbum, *Qua de re agitur*, increpatque eos quod adeo dediti Jurisprudentiae formulariae sint, ut nefas a se commissum fore putent si illud, *Qua de re agitur*, non addiderint. Quod tamen ipsi potius Ciceroni talia proferenti quam JCtis vitio vertendum, cum Jurisprudendia nullius gentis, nedum Romanae, quae tot gentes immixtas habuit, formulis carere unquam possit.

JCti itaque Romani ex jure gentium et formulis, seu legitimis actionibus res decidebant, respondendo juri vacantes, ut ipse Cicero de Legibus I. 3. ait: „ego vero aetatis potius va„cationi confidebam, cum praesertim non recu„sarem quominus more patrio sedens in solio „consulentibus responderem.” Vel ut de Manilio dicit (de Oratore III. 33,) „vidimus trans„verso ambulantem foro, quod erat insigne, „eum, qui id faceret, facere civibus omnibus consilii sui copiam.”

Qualis itaque status jurisprudentiae illa aetate apud Romanos fuerit, jam ex his, quae hic protulimus videre licet. Ex quo adparet, magis practice quam theoretice jurisprudentiam apud

eos excultam fuisse. Minus enim curabant jus pontifioium, vel, ut nunc loquimur, Antiquitates Juris, de quo Cicero conqueritur (de Legibus II. 19. in Bruto 42.) neque colligebant regulas Juris, quae in jure recentiorum populorum occurrunt, sub variis nominibus (*brocarda, paraemiae, maximes de droit*); sed potius memoria eas tenentes, juri de quo respondebant eas applicabant, addentes verba: *vulgo respondetur*, *traditum est*, *sic definierunt veteres*, *vulgo dicebatur*, *in jure civili receptum est*, *quod dici solet*.

Coronidis loco proferam Ciceronis verba ex Orat. pro Muraena 13. ideo ut ea in scholis explicaturus ad manus habeam; atque ideo quod illa multi ad deridendam sanctissimam rem, qualis Jurisprudentia est, licet non intelligant, citant: „dignitas in ista scientia nunquam fuit; „quae tota ex rebus fictis commenticiisque constaret: gratiae vero multo etiam minores: Quod „enim omnibus patet, et aeque promptum est „mihi, et adversario meo, id esse gratum nullo „pacto potest. Itaque non modo beneficii collocandi spem, sed etiam illud quod aliquandiu „fuit, *licet consulere*, jam perdidistis. Sapiens „existimari nemo potest in ea prudentia, quae „neque extra Romam unquam, neque Romae, „rebus prolatis, quidquam valet. Peritus ideo

„haberi nemo potest, quod in eo, quod sciunt „omnes, nullo modo possunt inter se discrepare. „Difficilis autem res ideo non putatur, quod „et perpaucis, et minime obscuris literis con„tinetur. Itaque, si mihi homini vehementer „occupato stomachum moveritis, triduo me „jurisconsultum esse profitebor. Etenim quae „de scripto aguntur, scripta sunt omnia: neque „tamem quidquam tam anguste scriptum est, „quo ego non possim, *Qua de re agitur*, ad„dere. Quae consuluntur autem, minimo peri„culo respondentur. Si id, quod oportet respon„deris, idem videare respondisse quod Servius; „sin aliter, etiam *controversum jus* nosse, et tra„ctare videare. Jtaque videmus nonnullos qui „oratores evadere non potuerunt, eos ad juris „studium devenire."

C A P U T XVII.

De jure Aeliano et Flaviano.

Non admodum tamen illa aetate neglectam fuisse Jurisprudentiam, et non solum a cantoribus formularum sed etiam a JCtis theoreticis excultam, testantur scriptores, qui variorum JCtorum opera ex hac periodo citant. Nam praeter Manilii illud opus adsunt *libri tres de Jure Civili* M. Junii Bruti, testante Cicerone in

Orat. pro Cluent. cap. 51. scripti eodem modo quo Cicero libros suos de Legibus scripserat. Apud Ciceronem extat initium cujusvis libri, quod citavit L. Crassus celeberrimus orator, cum defenderet L. Plancium accusante M. Bruto, JCti illius filio, homine nequam et perdito, quo magis adversarium suum refutaret. Praeter illos M. Junii Bruti libros, exstabant opera M. Catonis majoris, in quibus cum Cato multa protulisset, minus ad rem facientia, ipsa opera admodum vituperat Cicero. Libri illi Catonis ansam dederunt celebri *Regulae Catonianae*, de qua infra dicturi sumus. Omnes tamen hos libros superarunt duo, si eos nomine librorum appellare licet, nempe *Jus Aelianum* et *Flavianum*, de quibus cum id res exigat paulo uberius disserere placet.

Dividebant Romani dies in *fastos* et *nefastos*, sive tales, quibus lege agere non licuit vel universo populo Romano, vel certae familiae, vel certae genti. Quinam autem illi dies essent, patricii solum sciebant, cum operam darent ne sacra publica vel privata interirent. Quoties itaque aliquis lege agere volebat, de die fasto vel nefasto consulendus ei erat patricius, nam antiquitus illi solum pontifices eligebantur. 102) Gra-

102) Heineccius in Historia Juris Civilis p. 96.

tissimum itaque (Livius IV. 46.) plebi fuit, quod quidam Cnejus Flavius, Appii Claudii Caeci libertus, cum saepius apud illum JCt. scriberet, et quinam dies fasti et qui nefasti fuerint edoctus esset, eam rem, olim nisi paucis notam, vulgarem fecisset. 103) Quale detrimentum inde patricii ceperint, uberrime narrant Cicero et Plinius. Cicero in Oratione pro Muraena cap. 11. Jurisperitos deridens, haec de fastis evulgatis narrat: „si quid apud majores nostros fuit in „isto studio admirationis, id enuntiatis vestris my„steriis totum est contemptum et abiectum. Po„test agi lege nec ne, pauci quondam sciebant. Fa„stos enim vulgo non habebant. Erant in magna „potentia qui consulebantur, a quibus etiam dies „tanquam a Chaldaeis petebantur. Inventus „est scriba quidam Cnejus Flavius, qui corni„cum oculos confixerit, et singulis diebus edi„scendos fastos populo proposuerit, et ab ipsis „cautis jurisconsultis eorum sapientiam compilarit. „Itaque irati illi quod sunt veriti, ne, dierum ra„tione pervulgata, sine sua opera lege posset agi, „notas quasdam composuerunt, ut omnibus in „rebus ipsi interessent." Nisi id ipsum Plinius (Hist. Natural XXXIII. 6.) narrasset, dicere non dubitaremus id Ciceronem ut JCtos de-

103) Heineccius l. c. p. 97.

cavillaretur protulisse. Ita tamen id fuisse auctore Plinio affirmare cogimur, qui dicit, adeo aegro animo id tulisse patricios, ut ab eo inde tempore annulos abiecerint.

Qua ratione autem Flavius fastos evulgaverit variae sunt opiniones; Pomponius fr. 2. §. 7. D. de O. J. subreptum librum populo eum tradidisse; Plinius contra l. c. hortatu ipsius Appii Claudii consultando assidue sagaci ingenio id fecisse. Sed utraque opinio displicet, si enim innatam superbiam omnibus patriciis Romanis et praecipue familiae Claudiorum spectamus, id hortatu ejus fecisse Flavius putari non potest; neque subrepsisse ut Pomponius dicit, nam, modo recte observavisset singulos dies totius anni, homo sagax, qualis Flavius erat, ex memoria dies fastos et nefastos conscribere potuit. 104)

De ipso etiam libro quam vastus fuerit, variae sunt opiniones. Livius l. c. dicit *circa forum* proposuisse Flavium fastos. Itaque in multis locis fori eas adfigi curasse putari potest, quod testatur Ovidius v. 529 Fastorum.

Inque foro multa circumpendente tabella
Signatur certa curia quaeque nota.

Et Valerius Maximus, dicens: *fastos paene to-*

104) De Flavio cf. *Harduinus* ad Plinii l. c.

to foro eum exposuisse. Cicero contra ad Atticum VI. 1. dicit librum eum Flavianum solum *una tabella* constitisse. Unde apparet, quanta ignorantia vel potius contradictio de Antiquitatibus suis Romanis fuerit.

Eodem modo res sese habuit cum jure Aeliano 105) cum post evulgatos a Cnejo Flavio fastos, novas notas patricii excogitavere 106). De hac re consulendus est Pomponius f. 2. §. 7. 38. D. O. J.

CAPUT XVIII.

Celeberrimi JCti Flavius, Tiberius Coruncanius, Aelius..

Ut autem melius appareat, quo modo a JCtis hac aetate florentibus jurisprudentia Romana aucta fuerit, de vita nonnullorum paucis agere proposuimus 107).

1. *Flavius*, de quo singularem disert. scripserat Hoepfnerus, quae tamen in lucem non prodiit 108). Nos quid de eo praeter supra exposita profferremus non habemus, nec neces-

105) de quo cf. auctores a Heineccio et Rittero l. l. p. 10. citati.

106) cf. Ritterus ad Heinecc. l. c. p. 99.

107) cf. Ritterus ad Heineccii l. c. p. 193. Bachius l. c. p. 242.

108) Hugo R. RGesch. §. 183. nota. l.

sarium videmus, cur longa oratione rem parvi momenti persequamur.

2. *Tiberius Coruncanius.* Dicit Pomponius fr. 2. §. 35. D. O. J. „ante Tiberium Coruncanium publice professum neminem fuisse” quod mirum videri possit ei qui haec Pomponii verba ad literam interpretari voluerit, praesertim si scierit, multo post Tiberium alios, de quibus in periodo tertia dicturi sumus, jurisprudentiam docere caepisse. Itaque ne contradictio hoc loco adpareat, ita haec verba Pomponii interpretor. Cum olim nisi patricii pontifices crearentur, cumque solum illi jurisperiti essent, ut hanc saltem gloriam sibi servarent, in latenti jus civile retinuisse, consultatoribus vacantes, quam jus ediscere cupientibus copiam sui facientes. Putari itaque possunt pontifices suae doctrinae participes patricios esse prae ceteris voluisse exclusis plebeis. Id mutatum est posteaquam Tiberius Coruncanius homo plebeius creatus pontifex, quemque hominem jurisprudentiam addiscere, vel de jure sibi responderi cupientem admittebat, vel ut Pomponius l. c. ait publice jurisprudentiam profitebatur.

3. *Aelius*; magni a popularibus suis fiebat, quod testatur Cicero de Orat I. 45. Ennius Poëta scripsit ei epitaphium:

Egregie cordatus homo, Catus Aelius Sextus.

Commemoratur ejus liber a Pomponio fr. 2. §. 38. D. O. I. dictus *Tripartita*, quoniam legi XII. Tabular. praepositae juncta erat interpretatio, dein subtexta legis actio. Idem Pomponius ait, tres alios ejusdem libros circumferri, sed dubitare de illis homines utrum ejus fuerint.

PERIODUS TERTIA.

CAPUT XIX.

Res publica sub unius potestatem redacta.

Ut melius cognoscamus qui fuerit status rei publicae, quae posteaquam sub unius potestatem venerat nomen *Imperii* gessit, nonnulla ex historia populi Romani hic proferenda erunt.

C. Marius humili loco natus, caeterum bonus militia, primus patriam suam tyrannico jugo oppressit, adjutus a plebe cui favebat. Majorem mutationem respublica passa est, cum L. Sulla, cui agnomen *Felicis* datum, originem ex antiqua familia Corneliorum ducens, nobilitate adjuvante causam Optimatium promovere coepit. Creatus itaque fuit Interrex L. Valerius Flaccus qui Sullam auctorem proscriptionum, Dictatorem diceret, et quidem in tempus indefinitum, donec omnia, quae perperam in republica facta sunt, aboleverit. Statutum itaque fu-

it ut omnia quae fecisset, rata a Senatu haberentur, utque quemcunque vellet, indicta causa, impune posset occidere 109). Admodum diminuit Sulla potestatem tribunorum plebis, cum jussisset, ut centuriatim comitia plebis haberentur 110). Accidit tamen ut Cnejus Pompejus, agnomine *Magnus*, olim Sullae amicus, ab eo descisceret, atque cum tribunis plebis, licet patricius gente, sese jungeret brevique post partes Julii Caesaris amplexus, ab eodem posteaquam discordiae inter illos eruperunt, apud Pharsalum victus, in Aegypto obtruncaretur. Julius Caesar, *Perpetuus Dictator* dictus, exercitusque reipublicae Imperator creatus, ab eo iude tempore rempublicam moderandam aggressus, paulo post ab illis Senatoribus, qui fidem ei juraverant, occisus fuit. Filius ejus adoptivus et heres, Caesar Octavianus, ab a. 729. U. C. *Augustus* appellatus, quem Cicero *Pater Patriae* dictus, et ipse Senatus, exercitui contra Antonium partes Julii Caesaris foventem expediverat, brevi cognovit, utilius esse cum illo Lepidoque, hostibus patriae, se conjungere et per legem Titiam nomine *Triumviri reipublicae constituendae* adepto, rempublicam subvertere. Paucos post annos, ad discordias cum iis pro-

109) cf. Bachius l. c. p. 175. ibidemque citatus Cicero.
110) Appianus de B. Civil. I. 59.

lapsus, Lepidum armis exuit, mox Antonium aggressus apud *Actium* vicit, cunctaque bellis civilibus fessa sub nomine Principis per quadraginta annos moderabatur, Senatum, populumquae Romanum et provincias tyrannicum pati jugum adsuefecit.

Quomodo autem Augustus ejusque successores in administrando Imperio Romano se gesserint, omnibus notum. Respublica Romana speciem quandam antiquae formae retinuit sub Augusto et ejus successoribus usque ad Constantinum Magnum.

Mortuo C. Nerone plurimi exstiterunt Imperium Romanum moderari cupientes. Omnia turbata fuerunt usque ad Nervam. Ab eo inde tempore imperabant Romanis Imperatores, quorum virtutes, neque Divus ille Augustus, nedum alii Imperatores adaequaverunt. Quaecunque tamen de vita eorum Scriptores narrant, vel manca, vel falsis obvoluta deprehenduntur. Eo veriora autem ea videntur, quae de Augusto ejusque successoribus apud Tacitum et Suetonium legimus, eo magis, quo scimus, scriptores illos metu prohibitos non fuisse, ne quod veritatem evulgassent, proscriberentur; cum sub Imperatoribus viverent, affinitate familiae Caesarum non conjunctis. Imperante Septimio Severo ejusque filio *Caracalla*, (ut ab historicis

vocatur, ab JCtis vero, aeque ac Imperatores alii *Imperator Antoninus* dicitur, cum Caracalla nomen *vestis* sit, quo ironice filius Septimii Severi major natu appellabatur 111) erant praefecti praetorio celeberrimi JCti, qui clarissimorum ingeniorum, a quibus Jurisprudentia Romana illustrata est, agmen clauserunt.

CAPUT XX.

Lex Regia.

Lex quae sub nomine *Regiae* in Pandectis occurrit, distingui debet a legibus illis quae a regibus Romanis latae traduntur, v. c. de muliere gravida mortua, de potestate parentis in filium (fr. 2. D. de mortuo inferendo. Coll. L. M. et R. IV. 8). Legis nostrae occurrit mentio in §. 6. Inst. de Jure N. G. et C. fr. 1. pr. D. de Constit. princ. c. 3. C. de testam. c. un. §. 14. C. de caducis tollend. § 7. Const. Deo auctore. c. 1. C. de vetere Jure enucleando. Gaius in Comment. I. §. 5. haec memorabilia de hac lege habet: „nec unquam dubitatum est, quin id (constitutio principis) legis „vicem obtineat, cum ipse Imperator per legem „imperium accipiat." Ulpianus vero in fr. 1.

111) cf. Spartianus in Vita Caracallae cap. 9. Ausonius in Caesarib. n. 22.

pr. D. de constit. pricip „quod principi placuit „legis habet vigorem, utpote cum lege regia, „quae de imperio ejus lata est, populus ei et in „eum omne suum imperium et potestatem con„ferat."

Quemnam principem cui haec Lex data est Ulpianus intellexerit, multum a viris doctis disputatum est., quos Bachius 112) laudat. Sunt nonnulli, qui talem legem exstitisse olim negent, alii, quorum unus ipse Bachius est, qui de imperio Augusti Caesaris latam fuisse dicant, alii denique sunt, et hanc opinionem tuetur Hugo, 113) qui putent fuisse latam tempore interregni occiso Julio Caesare de triumviris constituendae reipublicae institutis. Nos quid de hac re censeamus in medium proferemus. Ut autem ab opinione Hugonis ordiar, recte animadvertere mihi videor, parum ejus opinionem hoc argumento probari quod Appianus de Bello Civili I. 3. 82. 90, Sullam primum fuisse qui regiam potestatem exercuerit, dicat; nec minus, quod nomen legis regiae a scriptoribus Graecis v. c. Theophilo ad Instit. I. 2. §. 6. non vertatur, sed ut nomen proprium vocabulo latino describatur. Nihil enim his argumentis Hugo efficit, neque illo Legem regiam ita ut legem

112) l. c. p. 281. sqq.
113) §. 177. R. RGesch.

consularem ad latorem suum referri posse; cum nobis non persuadeamus, quonam modo fieri potuisset ut potestas tanta talisque, qualis ex fragmento Legis Regiae quod hucusque diei incisum in tabula aenea Romae in Capitolio asservatur 114) adparet, a Romanis Interregi data, in Augustum, devicto Antonio, defluxerit. Scimus ex Historicis quam caute Augustus in stabilienda potestate sua se gesserit, ideoque putari non potest voluisse deferri sibi potestatem per Legem cui *Regiae* nomen erat, Romanis detestabile. Dixerit forsan aliquis, quid tu Hugonis verba detorques, qui nihil modestiae callidi principis, qualis Augustus fuit, obtrectans id solum affirmat: eum potestatem talem exercuisse, qualis olim Interregi per illam legem data fuerat; ita ut videretur non per vim, sed voluntate populi summam rerum occupasse. Sed ignoscat nobis, quaeso, qui talia dixerit, si eo ipso erroris eum arguerimus, cum ex talibus ejus verbis appareat, Augustum fuisse *Perpetuum Interregem*, non dissimilem re vera Perpetuo Dictatori, ob quod Julius Caesar occisus fuerat. Nihil itaque Hugo efficit, neque illis verbis quae ex Appiani libro I. 5. de Augusto citat, „eum vi-

114) utrum hodie ita res sese habeat certo dicere non possumus; forsan tabula haec, a Gallis subrepta, Parisiis asservatur.

„elo-

„ctorem non amplius, ne in speciem quidem „indigentem populi suffragiis fuisse", quum nobis persuadere non possimus, quomodo haec verba cum Lege Regia cohaereant.

Qui autem putant figmentum esse nostram legem, eos interrogare velim, cujusnam illud figmentum sit? Nam sive singularia membra, sive corpus ejus introspicias, adeo omnia concinne disposita invenies, ut nisi saeculi XVI. quo tempore post tot saecula barbariei praeterlapsa literae renatae sunt, figmentum esse dixeris, ab omnibus dari debere. Constat tamen jam ante XVI. saeculum fuisse hanc legem notam. Ut ad verba Gaii et Ulpiani revertar, explicari ea esse puto, si per *Imperatorem* intelligemus, non Augustum sed *Vespasianum*, in quem a Senatu summam potestatem delatam esse Tacitus Historiar. IV. 3. 6. narrat. Quam opinionem comprobat ipsa tabula in qua incisum est fragmentum nostrum, et inscriptum, *Lex de imperio Vespasiani.*

CAPUT XXI.

Plebiscita, Leges, SCta, Constitutiones principum, Edicta Magistratuum, Edictum perpetuum.

Republica sub unius potestatem redacta non desierunt leges ferri, et fontes juris esse, donec

SCta et denique Constitutiones principum, earum locum occupavere. Constitutiones autem sunt rescripta Caesarum de causa proposita. Nonnunquam ab eodem Imperatore de eadem re, diverso modo rescriptum esse scimus. Quapropter Justinianus eas colligi jubens recte fecit, quod hronologice eas colligi curaverat, quo melius intelligi posset, quo tempore et quonam modo de eadem re constitutum fuerit. Nec desierunt esse fontes juris Edicta Magistratuum, v. c. Praetorum, Aedilium, Proconsulum. Tandem Responsa prudentum, scilicet interpretationes partim eorum locorum quae in Edicto deprehendebantur, partim casuum iis propositorum, ita expoliverunt Jurisprudentiam Romanam, quo Corpus Juris Romani, etsi *membris dilaceratis*, in Pandectis propositum invenitur. Percurramus et renceuseamus quae memoratu digna ex legibus, SCtis et Constitutionibus principum supersunt.

I. *Leges.* Nunquam major numerus Legum latarum in republica Romana adparuit, quam, cum esset corruptissima, teste Tacito Annal. III. 27. Earum illas quae sub Augusto fuerant latae diligentius perscrutari debemus, quo scimus celeberrimos JCtos in eas commentatos fuisse, easque illustrando, alias, et quidem gravissimas, Juris Romani partes, enucleasse. Cum olim in Comitiis Lege ferrentur, nunc, cum imperante

jam Tiberio populus in Comitia non conveniret ad creandos magistratus, ita res composita fuit, ut de qualibet lege ferenda, ut olim in Campo, in curia, disputaretur. Distinguebantur itaque etiam tum Leges a SCtis, ut id patet ex Taciti Annal. IV. 16. Ulpianus quoque in fragment. VIII. 25. testis est huius rei dicens: ad approbandam adrogationem illa aetate convocatum fuisse populum, seu potius lictores, (quot certo determinari non potest,) qui curias repraesentarent. Persaepe tamen leges commiscebantur cum SCtis, licet Ulpianus de Legibus ita nonnunquam loquatur, ac si viderit eas quotidie a populo ferri, vel rogari.

Moderante rempublicam Romanam Sulla lata est:

1. *Lex Cornelia de falsis*, et alia *Lex Cornelia*, in qua nonnulla *de injuriis* praescripta fuisse, suspicari possumus. Dicitur autem saepe illa Lex proprio nomine *de falsis*, scilicet *testamentis*, quia cautum hac lege fuit, ne eorum qui in potestatem hostium delati, in servitute vitam finierint, testamenta supprimerentur, vel falsa illis subiicerentur; ex qua lege derivanda est fictio legis Corneliae, de postliminio. Contrariam sententiam tuetur Bachius 115), dicens, antiquius esse jus postliminii fictione illa, ortum-

115) l. c. p. 177. 178. nota z

que in primis tempore bellorum Punicorum. Quod mihi falsum videtur, cum ex Historicis sciamus, quam a civibus male habiti sint illi qui in potestatem hostium venerint (Livius XXII. 61). Quo itaque pacto credere vis in favorem eorum fuisse institutas fictiones, de quibus loquimur? Neque obstat Paulus, in Recept. Sent. III. 4. §. 8. legis Corneliae mentionem faciens, ut putat Stockmann editor Bachii, cum hic subintelligi debeat, fuisse extensam legem Corneliam, etiam ad hereditates legitimas. Nescio praeterea unde Stockmannus id expiscatus fuerit: *beneficium Legis Corneliae* antiquius esse illa Lege? cf. Hugo R. RGesch. §. 987. nota 1.

2. *Aliam Legem Corneliam* fuisse de injuriis vulgo creditur. Contrarium patet ex Theophili paraphrasi ad Inst. IV. 4. §. 8. Verosimile est, fuisse hanc legem eandem, quae in Pandectis comprehenditur, sub nomine Legis Corneliae de sicariis, nam si fuisset de injuriis lata, certo vocaretur: *Lex Cornelia de sicariis:* Itaque, ut dixi, *nonnulla* solum de injurriis fuere in ea praeposita cf. Hugo l. c. nota 2.

3. Memoratu digna occurrit *alia Lex Cornelia*, non quidem a Sulla dictatore, sed a tribuno plebis, ejus nominis lata (quem Cicero oratione cujus fragmenta supersunt defenderat), ut praetores magistratum aggressi, quonam mo-

do jus dicturi essent, proponerent, atque ex suis edictis perpetuis jus dicerent 116) Bachius l. c. p. 215 nota m. qui edictorum perpetuorum originem ab Hadriani aetate repetit, scribendum esse putat apud Asconium, pro verbo perpetuis, *perpetuo*. Sed nulla emendatione opus erit, si ea, quae de edictis perpetuis supra diximus, (uberius hanc rem infra tractaturi) observare volueris. De ipsa lege paucis agamus. Primum observandum est, mentionem in ea occurrere Praetorum; sed quorumnam quaeri potest. Equidem nollem affirmare, solum, hos praetores qui Romae jus dicebant eam legem spectasse, sed illos etiam qui provincias moderabantur subintelligendos esse dixerim. Neque inde probari, quemlibet praetorem perpetuo observare ea debuisse, quae in edicto antecessoris sui invenerit, ut Bachius l. c. putat, supra a nobis prolata docent. Quid itaque hac lege a Cornelio tentatum fuerit, varia proferri possunt et prolata sunt a Hugone 117), ex cujus opinionibus haec mihi in primis placet, Cornelium hac lege id assequi voluisse, ut Edicta praetorum ab eo inde tempore accuratiora componerentur. Verbum hoc ita interpretari nos posse, patet ex illis

116) cf. Asconius Pedianus in argum. ad Orat. Ciceronis pro C. Cornelio Majestatis reo.

117) §. 288. R. RGesch.

locis, quos Forcellini, s. v. *perpetuus* collegit. Quomodo autem edicerent praetores, partim ex his quae supra proposuimus, partim ex Cicerone de Off. III. 20. patet, qui cujusdam Marii Gratidiani meminit, una cum collegio tribunorum edictum componentis, quod postea, illis non adhibitis, solus plebi evulgavit. Caeterum fatendum est, admodum dubia esse omnia, quae de hac lege scimus, cujus ne Pomponius quidem cum de Edicto praetorum loquitur, ullo verbo mentionem facit.

Ante Augustum fuerunt leges latae:

4. *Lex Falcidia* a C. Falcidio Tribuno plebis, ne liceret ultra dodrantem hereditatem legatis exhaurire et si plus legatum esset quartem partem heres detrahere posset (Gaii Comment. II. 227) Cautum itaque hac lege fuit, et provisum, ne hereditates legatis oneratae repudiarentur, atque vicesima hereditatis in aerarium deferretur. Si recte hanc legem consideramus, Falcidius, ut eo magis aditionem hereditatis a herede accelararet, eam tulisse videtur, quod facile fieri posse cognovit, si rationem habuerit bonorum, a testatore mortis momento relictorum. Nec minus id tentavisse apparet, ut pars quarta bonorum heredi relinqueretur. Posteà cautum est ut cuique singulari hereditati haec lex adaptaretur.

Quartam eam partem, a herede detractam appellant Recentiores *Quartam Falcidiam.* Receptum denique fuit, ut nonnullis consanguineis relinqueretur ab herede certa pars hereditatis, quae appellabatur *Legitima portio*, vel ut nonnunquam dicitur *Falcidiae quantitas.* Incertum tamen est, utrum id in lege Falcidia ab initio comprehensum, an seriori tempore additum fuerit. Cujacius putat id cautum fuisse per legem Gliciam, cujus mentio occurrit in superscriptione fr. 4. de inofficioso testm. Sed errare eum tam ex his locis quae Brissonius s. v. *Falcidia* citat, quam ex c. 28. C. Th. VXI. 8. patet. In legibus Francorum appellatur portio heredibus a testatore relinquenda Falcidia 118), in statutis vero Regni Poloniae occurrit mentio quartae, sive (ut in Volum. Legum VIII. p. 166) *Juris Falcidii* in venditione bonorum obaerati debitoris, *detrahendae.* Cuique enim creditorum licet tempore prior contraxisset, quartam partem debiti reliqui creditores detrahebant, ut *omnes* creditores pro *aequa parte* damnum paterentur.

5. *Lex Julia et Titia*, a M. Titio cum J. Caesare Octaviano III. Consule lata, ut praesidibus provinciarum idem jus esset in tutoribus

118) Hugo l. c. §. 289. nota 1.

dandis, quod in urbe ex lege Atilia praetoribus, datum erat. Videtur haec lex olim duplex fuisse, alia lex Julia alia Titia post illam legem lata; quod apparet ex verbo *praesides*, qui magistratus sub Imperatoribus invaluit, nisi suspicaris hoc loco interpolatum verbum *Propraetoris*, vel *Proconsulis*.

6. *Lex Plautia*, ne usurparentur res vi ereptae (Gaii Comment. II. 45). Et

Lex Julia repetundarum, ne res provincialibus hominibus per vim ereptae usucapi possent, neque illae quibus provinciales corrupissent praesides.

7. *Lex Scribonia viaria*, quae eadem esse videtur, quam sub nomine legis Scriboniae Cap. XIII. explicuimus.

Ex Gaii Commentariis innotuere:

8. *Lex Julia* de bonorum venumdandis eorum qui iis cesserunt, (Gaii Comment. III. 77).

9. *Lex Aebutia* et duae Leges *Juliae* de legis actionibus subferendis (Gaii Comment. IV. 30.)

10. Lex *Julia judiciaria*, qua cautum erat, ut, nisi in anno et sex mensibus legitima judicia fuerint judicata, exspirarent, (Gaii Comment. IV. 104).

Sub Augusto latae fuerunt:

11. Lex *Julia de fundo dotali*. Haec lex duplici nomine occurrit, *de fundo dotali* et *de*

adulteriis. Cautum ea est, ne maritus fundum dotalem, quamquam ejus dominus erat, vendere posset. Vulgaris hucusque opinio erat cautum hac lege fuisse tantum de fundis in Italico solo; Gajus (in Comment. II. 63.) nos docet dubitari de hac re an etiam ad provincialia praedia pertineat. Praeterea cautum fuit, ut maritus vendere posset fundum consentiente uxore, non posset vero pignori dare etiamsi consensisset.

12. *Lex Aelia Sentia.* Quotuplici numero occurrat supra monuimus. Apud Ulpianum mentio fit legis *Asciae*, et legis *Mensiae*, quae vocabula corrupta esse videntur, cum legendum sit lex Aelia Sentia. Lex autem Aelia Sentia 119) vetuit domino obaerato, et minori XX. annis, servos manumittere, excepto servo, solo et necessario herede instituto; cautum praeterea fuit, ut servus nisi triginta annorum major sit, et ex jure Quiritium domini, justa ac legitima manumissione non liberetur, id est, vindicta, aut censu, aut testamento (Gaii Comment I. 17). Si aliquid eorum deerat, servus manumissus Latinus fiebat. Concesssum tamen fuit, ut si neutrum accidisset, et servus manumissus fuisset, causa apud consilium probaretur, quod ad-

119) cujus multa capita collegit Heineccius Antiquit. I. 6. 12.

hibebatur in urbe Roma quinque senatorum et quinque equitum Romanorum puberum; in provinciis autem viginti recuperatorum civium Romanor. (Gaii Comment. I. §. 20. 38.). Quod si servus malae notae esse inveniretur, praescriptum fuit, ut esset conditionis dediticiorum 120)

13. Lex *Fusia Caninia*, a C. Caninio Gallo lata de numero servorum testamento manumittendorum, ne testator, multos servos manumittendo, hereditatem exhauriat 121).

14. Lex *Julia* et *Papia Poppaea*. De hac lege ut diximus uberrimum Commentarium scripsit Heineccius; ex eo itaque et Hugone, additis observationibus nonnullis Bachii, quid nobis potissimum videbitur, in medinm proferemus. Dicit Heineccius: nihil illa lege vidisse Romam prudentius scriptum, nec errare eum, qui eam rogationem praecipuam fuisse censeat principatus ab Augusto instituti firmamentum. Causa ferendae legis honestissima; ut Romani

120) cf. Gaii Comment. I. 13. Lege itaque Aelia Sentia cavetur, ut qui servi a dominis poenae nomine vincti, sint, quibusve stigmata inscripta sint, deve quibus ob noxam quaestio tormentis habita sit, si in ea noxa fuisse convicti sint, quive (ut) aut ferro aut cum bestiis depugnarent traditi sint, inve ludum custodiamve conjecti fuerint, et postea vel ab eodem domino vel ab alio manumissi, ejusdem conditionis liberi fiant, cujus conditionis sunt peregrini dediticii.

121) Gaii Comment. I. 42--47.

adulteriis et vagae Veneri adsueti praemiis et poenis ad ducendas uxores et prole locupletandam rempublicam adducerentur. Haec lex plurima nomina habet, dicitur enim: lex Julia et Papia Poppaea *de maritandis ordinibus*, *de Caducis*, *lex Caducaria*, *de poenis coelibatus et orbitatis*. Apud Ulpianum sex tituli ejus legis inveniuntur, plurimis in locis vel lacerati vel manci. In Commentariis Gaii nulla rubrica illis titulis Ulpianeis respondet, nec apud veteres octo JCtos, 122) qui de hac re scripserunt, aliquid certi occurrit, unde solida doctrina de hac lege percipi possit. Praecipuum fundamentum hujus legis Augustus jecit, cum in petendis gerendisque magistratibus eos, quibus plures liberi essent, praeferri jussisset, ut semper esset in manu principis, quos vellet magistratus creari.

Ne autem hanc legem Papiam Poppaeam cum multis aliis legibus Papiis commisceamus meminisse sufficiet, plurimas ante hanc legem ejusdem nominis a Heineccio citari 123). Nostra autem lex nomen sumpsit a duobus consulibus Papio et Poppaeo. Non excusabatur hac lege qui nondum effoeta aetate in prole deesset alteruter sexus, neque eum qui vetulam

122) hi sunt: Celsus, Terentius Clemens, Junius Mauricianus, Marcellus, Gajus, Ulpianus, Paulus.

123) p. 7 -- 10. Commentarii ad hanc legem.

aut sterilem, eamve, quae per aetatem mulie bris patientiae legem accipere non posset, domum duxerit, nisi superinduxerit foecundam. Sed singulatim utramque legem i. e. Juliam, et P. Poppaeam percurramus. Quarum prima, id est Julia, licet ante legem Papiam Poppaeam, (cum haec anno 762. U. C. illa vero 753. U. C.) lata esset, tamen cum utraque lex eodem tendat, et circa unam eandemque rem versetur, utrius explicationem conjungere placuit.

Lege *Julia* constitutum fuit: ut quilibet sive mas, sive femina, viginti annis major, (neque tamen sexagenarius si masculus, si vero femina ne quinquagenaria) nuptias contrahat, et quidem (quod scimus,) ut compar connubium, ineat, vel si id non possit, ut saltem concubinam alat liberorum procreandorum causa, (fr. 1. D. de concubinis). Concessit autem Augustus concubinas loco uxorum legitimarum habere, ne contra legem ejus facerent Senatores qui ob paupertatem compar connubium inire non possent. 124) Liberi autem ex matrimonio procre-

124) Quas autem feminas uxores ducere prohibitum hac lege sit; Ulpianus in fragm XIII. 1. 2. his verbis dicit: „Lege Julia prohibentur uxores ducere Senatores „quidem, liberique eorum libertinas, et quae ipsae, quarumve pater, matere artem ludicram fecerit, item corpore quaestum facientium. Ceteri autem ingenui prohibentur ducere lenam, et a lenone lenave manumissam,

ati appellabantur *legitimi*; procreati vero ex concubinatu, dicebantur respectu patris *liberi naturales*, respectu vero matris, *vulgo concepti*, *vulgo quaesiti*, *vulgo parti*, (Gaii Comment. I. 64). quod tamen non significat, matrem liberorum illorum habere *corpus vulgare*, vel eam quae *victum vulgo quaerat*, sed illam quae extra matrimonium liberos peperit. Designant etiam illa vocabula liberos tales, qui habent patrem, quem habere *non* licet, (fr. 23. D. de Statu homin. Ulpianus in fragm. V. 7.). Cautum quoque fuit, ne aliquis sponsam decenni minorem habeat, desponsamque intra biennium domum ducat, utque faeminis a morte viri biennii, a repudio anni et sex mensium vacatio esset, neque mulier prohiberetur nuptias contrahere ob conditionem, ob juramentum praestitum, vel ideo quod tutorem ad dotem dandam, dicendam, vel promittendam (Gaius in Comment. I. 178.) non habeat; vel quod pater nuptias contrahere eam prohibeat. Quicunque uxorem habuit, quam ei non licuit habere, ex hac lege, non putabatur vivere in matrimonio, sed dicebatur *coelebs*.

Accuratius omnia definita erant lege *Papia Poppaea*; qua cautum fuit ut civis Romanus

„et in adulterio deprehensam, et judicio publico damnatam, et quae artem ludicram fecerit: adiicit Mauricianus, „et a senatu damnatam."

(et quidem mas vicessimum quintum annum, non vero sexagenarius; femina vero annum vicesimum, non vero quinquagenaria) liberos habeant, ita ut si quis secundum hanc legem liberos tres Romae natos incolumes, qui quatuor in Italia, quinque vero in provinciis habuerit, immunitatem consequeretur. Adquirebat ius Quiritium tam Latinus quam Latina certo numero liberorum procreato; libertinus ab operis patrono praestandis, mulier vero ab tutela liberabatur, (Gaius in Comment. I. 145). Nec minus cautum ut libertus centenario minor patrono ex suis bonis nihil relinquere cogeretur, minor vero centenario partem virilem; utque filia patroni, ejusque uxor, haec marito illa fratri suo, par haberetur in hereditate liberti capienda. Qui autem orbus liberis erat, vel qui non erat maritus, ex testamento extranei dimidiam partem hereditatis debitae perciperet, ex testamento vero uxoris nihil praeter certam quantitatem et usumfructum totius hereditatis, vel dominium tertiae ejusdem partis consequeretur. Quod si apparuit aliquis, qui hereditatem relictam capere non posset, ob causas lege praescriptas, hereditas ejus dicebatur *caduca* et cedebat fisco, atque si aliquis Romanorum civium, heres pro parte vel legatarius institutus, licet adfinitate nec heredi nec testatori conjun-

ctus, modo liberos habuerit, aderat, id quod caducum factum est, vindicare potuit. Ad hoc institutum alludit Juvenalis Satyr. IX. 86. ubi quidam adulter maritum ita alloquitur:

Jam pater es: dedimus, quod famae opponere possis:
Jura parentis habes, propter me scieberis heres,
Legatum omne capis nec non et dulce caducum.

Praeterea patet id ex Ulpianeis fragm. XXV. 17. „qemlibet in fraudem tacitam fidem ac„comodantem nec caducum vindicare ex testa„mento posse, si liberos habeat." Quod Cujacius cum non intellexisset pro: si *liberos habeat*; scribere voluit *si ex liberis existat*; licet etiam ex titulo XIX. 17. fragmentor. Ulpian. hoc posset colligere, ubi scriptum est: „lege no„bis adquiritur, velut caducum — ex legia Papia „Poppaea." Reliqua videantur apud Schultingium (ad Ulpianum tit. XIII. et locos Ulpianeos supra citatos,) nec minus apud Hugonem (R. RGesch. §. 295. nota 6.).

Non refertur haec lex ad illos, qui reipublicae causa absunt, quibus et milites stipendia facientes adnumerantur. Hi enim donec absunt, et intra annum postquam abesse desierunt vacationem legis habent. Nec lex haec ad illos

refertur, qui jus liberorum impetraverunt. Dubium tamen est, utrum ad illos recte referatur qui nuptias vel concubinatum impetraverint, cum incertum sit, utrum nuptiarum vel concubinatus jus impetrari possit.

Praeter solidam partem quae *coelibi*, praeter decimam quae *superstiti conjugi* adimitur, omnia aerario cedunt, quae cessura essent heredi nisi mortuus fuisset, anteaquam testator supremam diem obiisset; vel bona ejus caduca fiunt, vel in causa caduci sunt. Nec minus tunc hereditas relicta aerario cedit, cum heres moritur ante conditionem expletam, et cum illi ut indigno hereditas eripitur. (Ulpianus in fragm. XIX. 17). Praeferuntur tamen aerario *parentes* et liberi testatoris, nec minus valet hic *jus antiquum in caducis.* Qui detulerit magistratui incapaci relictum ex testamento esse, certam partem bonorum accipit mercedem.

15. Lex *Junia Velleja* testamentaria, quae multos casus rumpendi testamenti olim ignotos abstulit fr. 29. §. 6. D. de liberis et posthumis.

16. Lex *Petronia*, qua cautum fuit, ne domini in servos suos admodum saevirent. Suspicari licet hanc legem libertati servorum favisse, cum id per legem quandam Petroniam factum sciamus; cf. Brissonius s. v. *Petronia.*

Sub

Sub Tiberio *latae sunt leges*:

17. *Lex Junia Norbana*, de servis solemniter non manumissis, vel, ut Ulpianus (in fragm. I. 10.) ait, de illis servis qui inter amicos liberi esse jussi sunt. Cautum hac lege est, ut servi eo modo manumissi, (quorum libertatem praetor tuebatur cum legibus ipsis servi eas tueri non possent) conditionis Latinorum coloniarum essent, unde nomen eorum *Junianorum* a Junio consule latore hujus legis. Cum autem eo modo manumissi servi, nequaquam juris Quiritii participes fierent, recte Latinam libertatem quasi *per satyram inductam* Justinianus (c. un pr. C. de latina libertate tollenda) vocat. Brevi post statutum est, per legem Viselliam, sub eodem imperatore latam, ut Latinus, qui sex annis inter vigiles Romae militasset, jus Quiritium consequeretur (cf. Caput IX. Historiae Juris nostrae).

Sub Claudio

18. Lex *Claudia* de tutela feminarum tollenda. Meminit hujus legis Ulpianus in fragm. XI. 8. ubi tamen legitur, tutelam legitimam feminarum legem Claudiam *sustinere*. Cujacius ad h. l. suspicatus est, *subferre* quod ex Gaii Commentariis I. 157. probatur.

II. SCta:

Quo tempore leges cum respublica Romana

sub potestatem unius redacta erat, ferri desierint, certo determinari non potest. Quapropter id dixisse sufficiet, ut olim leges ita nunc SCta uberrimum fontem nobis fluere, ex quo doctrinae nostrae materiam abunde haurias. Multa eorum nomine ejus qui auctor condendorum illorum fuit non designantur, qualium exempla apud Ulpianum occurrunt. Major pars tamen invenitur eorum quibus nomen additur, a senatore ansam ei condendo praebente. Appellantur autem terminatione *producta* v. c. SCtum *Claudianum*; cum contra leges *brevi terminatione* occurrant v. c. *Claudia*. Occurrunt quidem leges etiam producta terminatione v. c. lex Corneliana (apud Ulpianum in fragm. XXIV. 5.) sed haec exempla rara sunt. Nomina autem SCtorum ut olim legum, a latoribus sive conditoribus eorum derivantur, tam Consulum quam Imperatorum. Sub Hadriano invaluit mos appellandi SCta ex nomine Imperatorum. Saepe itaquae invenitur SCtum *auctore* Divo Hadriano, vel, *ex auctoritate* Divi Hadriani conditum. Videntur nonnunquam Imperatores orationem egredi solitos fuisse, cum SCtum condendum suadebant, quod apparet ex fr. l. §. 2. D. de rebus eorum qui sub tutel. ubi scriptum est *preterea*, quod Hugo in *propterea* mutari vult. Dicebantur autem SCta condita esse ad orationem Imperatoris,

quia ille oratione ad senatum habita eum persuadebat, vel persuaderi cupiebat quae fieri vellet, quae *persuasio* re vera non erat aliena ab *jussu*. Licet princeps multa ex arbitrio suo facere posset, attamen saepius multa Senatoribus exsequenda committebat, cum eos ex voluntate eligeret (cf. Reinoldi opusc. p. 393). Quo autem tempore SCta condi desierint, dubitatur. Id tamen quod multi affirmant, sub Hadriano id accidisse, idoneis argumentis quibus probetur, caret; cum et ipse Ulpianus dicere non gravetur (fr. 9. D. de SCtis,) „non ambigi senatum „jus facere posse."

SCta sub Augusto condita.

1. *SCtum* Silanianum, de quaestione de familia, propter necem domini, ante apertas tabulas testamenti, habenda. Institutum id libera republica obtinuisse suspicatur Bachius e Cicerone ad diversos VIII. 12. Cautum eo SCto fuit, ut quaestioni isti quinquennio praescriberetur, nisi plane quaereretur de parricidio.

2. *SCtum Anonymum* ut usus fructus etiam in rebus sic dictis fungibilibus concederetur.

SCta sub Tiberio.

3. SCtum *Libonianum*, quo poena Legis Corneliae de falso irrogabitur ei, qui quid aliud,

quam testamentum, falsum, sciens, signaverit, vel signari curaverit. Eodem etiam cautum fuisse videtur, ne quis sibi in testamento alieno legatum adscriberet. Conditum SCtum quoque suspicatur Bachius sub Tiberio de mathematicis eiiciendis.

4. *SCtum Persicianum*, ut sexagenariorum atque quinquennariarum nuptiae non essent, ac proinde vir et uxor perpetuis coelibatus poenis tenerentur. Conditum autem est hoc SCtum vicesimo quinto anno post legem Juliam et P. Poppaeam.

Sub Claudio:

5. *SCtum Largianum.* Ut bona Latinorum primum ad eos pertinerent, qui eos liberassent; deinde ad liberos eorum non nominatim exheredatos, uti quisque proximus esset. (Gaii Comment III. 63).

9. *SCtum Claudianum*, (quasi supplementum ad legem Cinciam est), quo pecuniis ob causas orandas capiendis positus modus usque ad dena sestertia, quem egressi repetundarum tenerentur.

7. *Aliud SCtum* ejus nominis, quo justae inter patruos fratrumque filias etiam in posterum statuerentur. Non multum post obroga-

tum est SCto Persiciano, cautumque ut major sexagenario si minorem quinquagenaria duxisset, perinde haberetur, ac si minor sexagenario id fecisset. Conditum fuit hoc SCtum in gratiam ipsius Imperatoris Claudii, qui, ut amori quo erga Agrippinam fratris filiam flagrabat satisfaceret, senatum ingressus teste Tacito (XII. 7. Annal) postulavit decretum quod exposuimus. Non refertur autem hoc SCtum ad nuptias contrahendas cum filiabus sororum, ut docuit Cujacius (Observatt. XIII. 16.).

8. Celebre est SCtum hortatu Agrippinae a Pallante liberto propositum, a Claudio vero Imperatore ad patres relatum: „ut mulier ingenua servi alieni amore bacchata, si invito „et denunciante domino in eo contubernio perseveraverit, ancilla esset." Hoc SCtum praetoria insignia et quiquagies sestertium paravit auctori ejus. Justinianus id sustulit (c. un. C. de SCto Claud. tollend.) „ne (ut ipse ait) „ea „quae libera constituta est, vel semel decepta, „vel infelici cupidine capta, vel alio quocunque „modo contra natalium suorum ingenuitatem „deduceretur in servitutem, et esset pessimum „dedecus cognationis suae fulgori." Non concessit tamen id vir humanissimus servis vel adscriptitiis, „ne," (verba ejus sunt), „paulalatim hu„jusmundi hominum conditio decresceret."

9. *SCtum Vellejanum*, de intercessionibus mulierum. Verba SCti exstant in fr. 2. §. 1. D. ad SCtum Vellejan. ad quae Ulpianus adnotavit, „hoc SCto opem latam esse mulieri„bus propter sexus imbecillitatem, multis hu„juscemodi casibus suppositis atque objectis.

10. *SCtum Macedonianum*, ne in mortem parentum pecuniae filiis familiarum foenori darentur. Unde nomen SCto adhaeserit varii varia protulere, quos Bachius l. l. p. 365 citat. Ansam disputationi dedit, quod SCtum hoc non a nomine conditoris, ut vulgo solet, sed ab alio quodam, (sive filius ille improbus fuit qui insidias patri struxerat, sive foenerator qui pecunias dederat) appellabatur. Si tamen recte verba SCti, quae in fr. 1. D. de SCto Macedon. leguntur observamus, apparebunt falsa illa quae Bachius contra Theophilum disputavit, esse. Verba enim haec SCti. *cum inter ceteras sceleris causas Macedo, quas illi natura administrabat, etiam aes alienum adhibuisset* optime referuntur ad filium, aes alienum adhibentem.

11. In Institutionibus Justin. (§. 1. D. SCto Tertull.) occurrit mentio cujusdam SCti a Claudio Imperatore conditi, matri ad solatium liberorum amissorum legitimam hereditatem deferentis.

SCta sub Nerone *facta sunt*:

12. *SCtum Trebellianum*, (de quo cf. §. 6. Inst. de fidei commiss. heredit. fr. 1. §. D. ad SCtum Trebell. Gaius in Comment. II. 253). Cautum hoc SCto fuit: „ut si non plus quam „dodrantem hereditatis restitueretur, in utrum-„que actiones hereditariae pro rata parte daren-„tur; in heredem quidem jure civili, in eum „vero, qui recipiebat hereditatem ex SCto Tre-„belliano, tanquam in heredem."

13. *SCtum Memmianum* constitutum fuit ne simulata adoptio in ulla muneris publici parte juvaret, ac ne usurpandis quidem hereditatibus prodesset. (cf. Taciti Annales XV. 19. et Lipsius ad h. l.)

14. *SCtum Neronianum*, ut, quod minus pactis verbis legatum erat, perinde esset, ac si optimo jure legatum fuisset. Verba *pacta* h. l. idem significare quod verba *concepta* et *legitima* probare vult Cujacius. Alii suspicantur pro pactis legendum esse *aptis*, *rectis*, vel *justis*, quod magis placet (Gaii Commeut. II. 189 212).

3. Reliqua SCta sub hoc Imperatore facta videantur apud Bachium l. c. p. 373. 374.

Sub Vespasiano.

15. *SCto Pegasiano* condito cautum est: „ut ei, qui rogatus esset hereditatem restituere,

„perinde liceret quartam partem retinere, atque „ex Lege Falcidia ex legatis retinere ei conceditur, (Gaii Comment. II. 254.). Hoc SCto itaque fideicommissarius heres perinde habebatur atque legatarius partiarius. Cautum praeterea eo scimus, ut heres cogeretur adire hereditatem eamque restituere etsi nollet, atque si id fecisset ne teneretur fideicommissarius heres quartam partem ei restituere. Ex Gaii Commentariis (II. 286.) discimus: Caelibes et orbos fideicommissa, ac legata et hereditates capere prohibitos esse, hoc SCto.

Sub Hadriano.

Condita sunt permulta SCta de quibus in Institutionibus dicturi sumus. Hic illa exponimus, quae nobis ex Gaii Comment. innotuere:

16. SCtum: ut liceret heredi rem ex hereditate usucaptam ab eo qui eam usuceperat perinde consequi, ac si usucapta non esset (Gaii Comment. II. 57.).

17. SCtum: ut si vivo patre causa probata esset de conditione filii, omnimodo rumperetur testamentum; si vero post mortem patris ut praeteritus illud rumperet, non vero si in eo heres scriptus vel exheredatus fuerit deprehensus (Gaii Comment. II. 143.).

18. SCtum: ne etiam peregrini creditorum frau-

dandorum causa manumitterent (Gaii Comment. I. 47).

19. SCtum: ut ex Latino et Cive Romana natus civis Romanus nascatur (Gaii Comment. I. 80.).

20. SCtum: ut qui ignorante vel recusante patrono ab imperatore jus Quiritium consecuti essent, proinde haberentur ac si lege Aelia Sentia vel SCto ad civitatem pervenissent (Gaii Comment. III. 73.).

Sub Antonio Pio.

21. Celebre *SCtum* conditum fuit, *Tertulianum*, quod alii sub Hadriano (§. 2. Inst. ad SCtum Tertull.) alii sub Antonino Pio, conditum affirmant (v. auctores quos Otto citat ad h. l. Instit.). Illam opinionem licet Bachius tueatur (l. c. p. 445.), tamen eorum videtur verior, qui sub Antonino Pio promulgatum contendunt, cum eo imperante Tertuli Consulis mentio in Fastis occurrat. 125) Videntur itaque vel scriptores in nomine errasse, vel Tribonianus et consortes operis memoria lapsi, cum haec scriberent. SCto autem hoc constitutum erat ut mater quae in manum non convenisset ingenua trium, libertina quatuor liberorum jus habens, ad

125) cf. Fasti Consulares s. anno. U. C. 911.

bona liberorum, intestato, et sine liberis mortuorum, admitteretur.

Reliqua SCta quae sub eodem principe facta sunt, videantur apud Bachium l. c. p. 446.

Sub Marco Aurelio.

22. Factum est *SCtum Orphitianum*, quo liberi ad bona matrum intestatarum admitterentur, et data est tam filio, quam filiae legitima hereditas, etiam si alieno juri subiecti sint, utque praeferrentur consanguineis et adgnatis defunctae matris (cf. pr. Inst. de SCto Orphit.).

Alia SCta eo imperante condita exponit Bachius l. c. p. 447. sqq. SCta sub sequentibus Imperatoribus usque ad Imperatorem Antoninum Caracallam facta, quaenam fuerint, in Institutionibus indicabimus, optime nos facturos rati, si ea ut minoris momenti, cum ipsa theoria juris conjunxerimus.

III. Constitutiones Principum.

Sub nomine constitutionum intelligimus quodcunque imperatores praeceperunt fr. 1. D. de Constit. princ. Cum ab aetate Augusti principes Romani omnes magistratus dirigerent, mirum nobis videri non potest, constitutiones eorum plus valoris habuisse, quam magistratuum. In §. 6. Inst. de J. Nat. G. et C. dividuntur Con-

stitutiones Imperatoriae in *personales*, quae ad personam trahantur, et in *generales* quae procul dubio omnes teneant. Earum alterum genus praecipue est dignum quod a nobis diligentius observetur. Gajus (in Comment. I. §. 5.) et Theophilus (ad §. 6. Inst. h. t.) dividunt constitutiones Imperatorias in *Epistolas*, *Edicta* et *Decreta*; obliti rescriptorum, quibus solebant Imperatores casus singulares a personis privatis propositos decidere. Epistolas dicit Theophilus responsiones Imperatorum ad relationes Magistratuum. *Edictum* appellatur quodvis praeceptum, quod Imperatores Romani more magistratuum edere solebant. *Rescriptum*, quo principes de casu proposito rescribebant, nonnunquam in simili causa pariter respondentes, nonnunquam pro lubitu sententiam suam mutantes. Denique occurrunt constitutiones sub nomine *mandatorum* sive praeceptorum, quae Imperatores praesidibus dabant.

Has Imperatores scripto edebant. Constitutiones autem quas voce promulgabant, sunt vel *orationes*, in senatu habitae; vel *decreta*, sive imperiales sententiae in rei cognitione prolatae; quas Imperatores cum tribuni plebis, et primi praesidum provinciarum haberentur, decernere solebant.

A quo tempore Imperatores constiture incae-

perint, variae sunt opiniones. Nonnulli putant seducti ut puto, quod in corpore Juris Justinianei ea constitutio antiquissima sit quam Imperator Hadrianus ediderat (c. 1. C. de Testamentis, cf. Instit. §. 7. de Testam. ordinand.) primum ab illo inde tempore edixisse Imperatores, vel ne sibi desint, ab illo tempore decidisse res gravioris momenti. Hoc affirmat Hoepfnerus quem refutavit Hugo (in Civilist. Magaz. T. I. p. 74. 75. sqq.). Accedit quod in fr. 1. D. de testam: militis constitutionum *Divi Augusti*, *Titi*, *Domitiani*, *Nervae* et *Trajani* mentio occurrit, et in fr. 41. pr. D. de heredibus instituend. *Tiberii* constitutio memoratur. Alia opinio est, et hanc tuetur Bachius (l. c. p. 381. sqq.), Augustum constituere primum incaepisse, idque „Lege Regia, qua sancitum erat, ut quaecunque Imperator ex usu reipublicae, majestate divinarum, humanarum, publicarum, privatarumque rerum esse censeret, ei agere, facere jus esset." Sed nihil opus est ut constitutionum edendarum jus inde derivetur, cum aliter sese cum Lege Regia rem habere supra dixerimus.

Denique si sub nomine constitutionum haec omnia intelligere volumus quae condita fuere a magistratibus non ordinariis, qualia multa Historici condita tradunt ab illis qui rempublicam oppresserant v. c. a Sulla, Pompejo et

Julio Caesare 126), falsa Bachius protulisse apparebit.

Haec sufficiant dixisse de historia Constitutionum. Quod autem nonnulla Imperatores per Mandata, nonnulla vero per Edicta, nonnulla denique per Constitutiones, per Rescripta, et id genus alia, deciderint, nullam causam proferre possumus, quam, decidisse eos prout illis visum. Praeterea nullibi gentium deprehenditur, ut hac solum non vero illa forma princeps decidat; eum par valor sit constitutionibus ejus quacunque forma constituere ei placuerit.

Enumerandae nunc essent singullatim praecipuae constitutiones Imperatoriae; cum tamen frustra talis labor susceptus foret (aliud est enim Leges, Plebiscita et SCta, aliud constitutiones enumerare velle) sufficiet, si de illis, prout videbitur, in Institutionibus dixerimus.

IV. Edicta Magistratuum.

Post legem Corneliam, diligentius quam olim accidit, Edicta componi coeperunt. Edebantur autem etiam sub Imperatoribus, tam a praetoribus, quam ab Aedilibus et Praesidibus provinciarum. Rarius tamen, praesertim a magistratibus in Urbe edictum esse, licet id Imperatores non prohiberent, dubio caret. Quod prae-

126) cf. Appianus de B. Civili I. 98. II. 13. 135.

cipue accidit ob JCtorum auctoritatem, quos quisque ab eo inde tempore consulere potius malebat, quam expectare edictum magistratus, cujus erat de ea re edicere. Utrum quilibet praetoris successor solitus fuerit Edicto ab antecessore suo condito nova quaedam addere, nescimus. Constat tamen sub Hadriano accessisse multa Edictis a *Salvio Juliano* JCto (cf. fr. 3: D. de Conjug. c. emancipat. liberis), proposita.

Hoc moti sunt illi qui vel Historiam Juris, vel res gestas Romanorum sub Imperatoribus scripsere, ut crederent statum Jurisprudentiae ab aetate Hadriani esse mutatum. Bachius l. c. p. 463. v. c. ut alios ommittam, dicit: „visum esse Hadriano Imperatori perquam „necessarium et utile jurisdictioni magistratuum „certam formulam praescribere, cui omnes ad„stringerentur, a qua recedere non possent: et „juris studiosis certum juris honorarii quasi cor„pus componere: quo certior atque liquidior „fieret scientia. Igitur Hadrianum Imperatorem, „cum jure potissimum constituendo rumpubli„cam fundare suscepisset, in primis Juris Ho„norarii componendi consilium cepisse: ut tan„dem aliquando magistratus, praecipueque Prae„tores, perpetuam certamque formulam, quasi „jurisdictionis legem, quam sequerentur, ha„berent. Itaque hoc Edictum Perpetuum com-

„positum collectumque esse ex Preetorum Edi-
„ctis, quae tum extabant: ad usum istius tem-
„poris, omissis inutilibus, immutatis veteribus,
„adiectis etiam novis quibusdam capitibus" idem scriptor affirmat, atque ut omnia protulerit quae nostris temporibus accidere solent cum juris Codices conduntur, opinionem Mascovii sequutus, dicere non dubitat: „refri-
„xisse ab eo inde tempore studia sectarum
„videri"

Si diligenter intuebimur, quae hic referuntur, omnia argumenta, quibus opinionem suam Bachius aliique probant, non satis idonea apparebunt. Spartianus enim, qui omnium quos hucusque novimus uberrime vitam Hadriani Imperatoris descripsit, de mutato illo statu Jurisprudentiae sub Hadriano, ne verbum quidem protulit. Neque Eutropius (VII. 9.) nec Eusebius (in Chronic.) aliud quicquam de Salvio Juliano, cui id negotium ab Hadriano datum eese fertur, dicunt, nisi *edictum perpetuum eum composuisse.* Aurelius Victor (in Caesarib. cap. 19.) id ipsum dicit de imperatore Didio Juliano, quae ejus verba referenda esse ad Salvium JCtum observaverunt viri docti. Si Salvius Julianus idem fecisset sub Hadriano, quod Tribonianus sub Justiniano fecerat, et quod *Carmerus*, *Zeillerus* et *Portalis* nostris temporibus

ad finem perduxere, potuerintne Historici rem tantam silentio praeterire? Sed ex solidioribus argumentis egrediamur, ad refellendam opinionem Bachii. Si omnia ea loca quae Lexicographi s. v. *componere* collegerunt inspexerimus, apparebit id verbum non solum significare *in unum redigere ordinem*, sed etiam, *in meliorem ordinem omnia redigere*; et hac significatione utitur Victor, cum dicit Salvium Julianum, edictum composuisse. Alia loca, quae illi e Victore citato respondent sunt: 1.) Cicero pro Tulio c. 6. (edit. May) ubi legitur: *hoc judicium primus composuit* 2) §. 1. Inst. de Exceptionib. 3. fr. 2. §. 44. D. de O. J. quo loco Pomponius de Ofilio dicit: *edictum primum eum diligenter composuisse, cum ante eum Servius duos libros ad Brutum perquam brevissimos reliquerit* 4, Cicero de Oratore I. 41, ait: desiderari JCtos *qui illa artificiose digesta* (Jus Civile putat) *generatim componerent.* Nec minus de Legibus I. 5. dicit: *composita esse et descripta jura et jussa populorum.* Denique Pomponius fr. §. 5. d. t. *juris compositi a prudentibus* meminit. Accedit, auctoritas Paeanii, Justiniano Imperatori coaequalis, affirmantis: Edictum perpetuum sub Hadriano conditum appellari sua aetate *Edictum Hadriani.* Utcunque est, apud nullum JCtum Romanum, quorum fragmen-

menta ad nostram pervenere aetatem, neque in Commentariis Gaii, ulla mentio talis mutationis occurrit. Nec obstant fr. 1. D. Quod metus causa, fr. 1. §. 1. D. Commodati vel Contra, fr. 4. D. de Itinere actuque privato, c. 19. C. ad SCtum Velleianum in quibus mentio *Edicti perpetui* deprehenditur, nam, ut recte observavit Hugo, nihil opus est ut ad hoc edictum id referamus, cum et libera republica vigente, perpetua edicta conderentur. Immo ut supra diximus in fr. 7. D. jurisdictione distinguit Ulpianus inter edicta jurisdictionis perpetuae causa, atque inter edicta proposita prout res incidit. Unde apparet, observante Noordkerkio (Obs. Decas p. 160), licuisse etiam post compositum perpetuum illud Edictum praetoribus addere ex suo arbitrio ad Edicta. Quod cum ita est, quis putabit, si id non licuisset illis, ausos fuisse Praetores mutare ea que in Edicto perpetuo inveniebantur, vel contra voluntatem Imperatoris Hadriani Edicto quaedam addere?

Non negamus inveniri duo loca in Codice Justinianeo, quae nostram opinionem quodammodo refellere videntur. Sunt autem 1. const. *Tanta* §. 18, ubi legitur: „Si quid contigerit, „Augustum imploretur remedium: quia ideo „Imperialem fortunam rebus humanis Deus

„praeposuit, ut possit omnia quae noviter con-
„tingunt, et emendare et componere, et modis
„et regulis competentibus tradere. Et hoc non
„primum a nobis dictum est, sed ab antiqua
„descendit prosapia: cum et ipse Julianus, le-
„gum et edicti perpetui subtilissimus conditor,
„in suis libris retulit: ut si quid imperfectum
„inveniatur, ab imperiali sanctione hoc replea-
„tur. et non ipse solus, sed et Divus Hadria-
„nus in compositione edicti, et Senatus con-
„sulto quod eam secutum est, hoc apertissi-
„me definivit, ut si quid in edicto positum non
„invenitur, hoc ad ejus regulas, ejusque con-
„jecturas et imitationes possit nova instruere
„auctoritas." Id repetiit princeps sacratissimus in c. 3. §. 18. C. de Vetere Jure Enucleando, quod jam §. 18. ej. const. dixit addens: „librum Juliani *perbrevem* fuisse," quod minime respondet illis, quae ex aliis auctoribus scimus „constasse opus Juliani nonaginta libris." Verba itaque illa Justiniani referenda esse puto ad opus aliud, quod ad edictum scripsisse Julianum constat (ex fr. 1. D. de his qui notantur infam).

Ut ad rem revertar, fateor, ex his locis apparere, Hadrianum Imperatorem participem fuisse operis Salvi Juliani, sed quatenus particeps fuerit, id quaeritur. Quid si dicamus cum

Hugone, JCtum nostrum opus suum dedicasse Hadriano, et quidem inscriptum *Hadrianus* vel *ad Hadrianum?* Praeterea aliud est quod proferri potest. Scimus sub Hadriano institutos fuisse Quatuor Consulares qui in totidem partes divisa Italia jus dicerent. Putarem itaque, ad illos Hadrianum opus Salvii Juliani misisse, secundum quod jus dicerent. Nec minus proferri posse videtur, SCto quod conditum scimus ideo sancitum opus Juliani fuisse, quod cum imperante Hadriano scholae juridicae institutae essent, quas singulari cura princeps ille fovebat, ad illas missum id fuisset, ut, quod serius cum Institutionibus Justinianeis factum esse scimus, ex eo praelegeretur juvenibus jurisprudentiae studentibus.

Haec sunt, quae contra opinionem Bachii dicenda habui; quae, qualiacunque sunt, verisimiliora esse videntur, illis quae ille protulit. Accedit, quod in fragmentis Edicti quae in Pandectis leguntur, semper magistratus ipse loquutus introducitur, ut libera republica obtinuit. Nihil itaque adversarii nostri argumentis illis efficiunt, neque illo, ab eo inde tempore conjuncta fuisse Edicta Praetorum urbanorum, cum edictis Aedilium et praesidum provinciarum teste Theophilo (ad §. 7. Instit. de Jure N. Gent. et Civil. et adfirmante Paulo Sent:

Recept;) cum ex Gaii Comment. I. 15. §. 12. sciamus „edicta Aedilium juncta esse cum edi„ctis praetorum" cum sub Imperatoribus rarius quam olim edixisse Aediles, Edictaque eorum paulatim cum Edictis praetorum coaluisse videantur. In constitut. ad Antecessores §. 4. diserte dictum est, ultimum locum obtinere Edicta Aedelium.

CAPUT XXII.

Responsa prudentum; Proculejani, Sabiniani.

Opiniones et sententiae JCtorum qui illa aetate vixerunt, ita, ut illorum, quos prima et secunda periodo enumeravimus, fontes juris esse putabantur. Quod vero Bachius (l. c. p. 397) dicit: „Augusto cum reipublicae simulacris po„pulo illuderet, faciendum fuisse ut JCtorum „quoque dignitatem et auctoritatem retineret; „atque augeret quos sciret in vetere republica „multum apud populum auctoritate et gratia „valuisse; atque iis ut potentiae suae stabilien„dae veluti instrumentis uteretur, judicibus im„posuisse necessitatem observandi responsa JCto„rum in sententiis suis; vetuisseque ab iis re„cedere, quam tamen auctoritatem dederit tan„tum eorum JCtorum responsis, qui ab ipso „facultatem respondendi de jure accepissent"

levia sunt, cum fluxerint ex §. 8. Inst de J. N. G. et Civili et fr. 2. §. 47. D. de O. I.

Dictum autem est l. c. (fr. 2. §. 47. D. O. I.) *Masurium Sabinum jam grandem natu in equestrem ordinem receptum et fere quinquaginta annorum, publice primum scripsisse*; quod quid significet multi quaesivere. Mihi nulla religio est colligere ex his quae illa verba sequuntur, non fuisse hanc rem magni momenti, etsi primus ille fuerat, qui sibi veniam respondendi impetraverat. Nullo modo enim id verti potest, concessum ei fuisse *nomine principis de jure respondere.* Quapropter credimus Pomponium dicere velle „annuisse Imperatorem petenti, et concesisse artis perito, de Jurisprudentia respondere." Quod enim nostris temporibus accidere solet, ut non omnes qui honore *Consiliarii* ornentur principis sint a consiliis, ita etiam illi JCto qui facultatem de jure respondendi a principe obtinuit, jam eo ipso licuisse de quibus princeps adibatur epistolis, respondere putari non potest. Hoc probatur verbis ipsius Pomponii, dicentis: *optimum principem Hadrianum cum ab eo viri praetor. peterent, ut sibi liceret respondere, rescripsisse eis, hoc non peti sed praestari solere, et ideo si quis fiduciam sui haberet, delectari se quod populo ad respondendum se praepararet.*

In Instit. §. 8. de I. N. Gent. et C. haec legimus: *responsa prudentum sunt sententiae et opiniones eorum quibus permissum erat jura condere. Nam antiquitus institutum erat, ut essent, qui jura publice interpretarentur, quibus a Caesare jus respondendi datum est, qui Jurisconsulti appellabantur: quorum omnium sententiae et opiniones eam auctoritatem tenebant, ut judici recedere a responso eorum non liceret ut est constitutum.* Sed etiam haec verba non probant opinionem Bachii. Quis enim est, qui non videat, referenda esse haec verba ad constitutionem Valentiani III. Id jam multi viderunt, dissentientibus aliis (cf. Hugo Civilistiches Magazin B. II. p. 471).

In Gaii Commentariis I. §. 7. haec deprehenduntur: „Responsa prudentium sunt sententiae „et opiniones eorum, quibus permissum est jura condere, quorum omnium si in unum sen„tentiae concurrant, id quod ita sentiunt, le„gis vicem obtinet; si vero dissentiunt, iudi„ci licet, quam velit, sententiam sequi: idque „rescripto divi Hadriani significatur." Quo nihil aliud Imperator Hadrianus rescripsisse videtur, nisi: in quod artis periti homines consenserint ratum haberi debere.

De Gaio Caesare Caligula Suetonius (in ejus vita cap. 34.) narrat, eum: *de Jure Consultis,*

quasi scientiae eorum omnem usum aboliturus saepe jactavisse, se mehercule effecturum, ne qui respondere possint praeter eum. Sed hoc majori dedecori illi, quam jacturae JCtorum fuit, ita ut Macrino Imperatori, qui omnes suos antecessores juris imprudentes cum pronunciavisset, rescripta et decreta eorum aboleri voluit.

His missis, quinam status Jurisprudentiae illa aetate fuerit, disseramus.

JCti illa aetate viventes ad maximum perfectionis gradum Jurisprudentiae studium adduxerunt, ita ut recte de iis dixeris: complexos fuisse *divinarum atque humanarum rerum notitiam.* Quis enim est ex antiquis scriptoribus qui prodiderit, ad quem usque aetatis annum hominem vivere Antiqui crederent? Quod patet ex fr. 68. D. ad legem Falcid. (Niebuhr l. c. T. II. p. 100). Multum contulit ad excolendum animum JCtorum Romanorum quod non, ut recentiores facere solent, putarent, sufficere ipsam Jurisprudentiam (mixtum scilicet quoddam compositum quod illi Jurisprudentiam vocant!) ad excolendum animum humanum, et opus non esse JCto studiis illis, quae ab humanitate nomen sibi vindicant. Contraria Antiqui persuasi erant, quos saepius citare invenimus pöetas Graecos, v. c. Homerum, philosophos v. c. Platonem, Oratores v. c. Demosthenem.

Gajus itaque saepe commemorat *inelegantiam* et *elegantiam juris* (in Comment. I. 84, 85. III. 100).

Quod autem Recentiorum multi putarunt, nullum hominem beate vivere posse, qui se alicui sectae philosophorum non applicaverit, plane incognitum JCtis Romanis fuit, licet multi docere voluissent cui generi philosophiae hic vel ille JCtus addictus fuerit. Multi recentiorum logices JCtos Romanos expertes putarunt, quo ipso ostenderunt se mente captos esse. O boni homines! qui JCtos Romanos allatratis, putatisne eum solum philosophari posse qui se philosophum vel mathematicum jacteat? Alieni ab hoc JCti Romani erant, et tamen Leibnitius, summis laudibus eos effert. Quod vero nonnunquam *philosophos Minorum gentium* decavillarentur, ideo id fecisse illos credo, quia philosophantes vera eo magis aestimabant, quo philosophiam simulantes contemnebant (fr. 1. §. 1. D. de Inst. et I. fr. 6. §. 7. D. de Injusto rupt. fr. 1. §. 4. D. de Extraordin. Cognit. fr. 6. §. 7. D. fr. 6. §. 10. D. de Excusat).

In nulla re tam indocti JCti Romani apparent, qua in Etymologia. Documento sit Gajus in Comment. II. 4. III. 90. Ulpianus fr. 195. §. 4. D. de R. J. aliique quos Hugo l. l. R. RGesch.

§. 314. citat. Cur id acciderit varia varii proferunt. Multi dicunt ideo erravisse illos, quod praeter patrias Graecasque literas aliis operam non darent. Hoc tamen falsum mihi videtur quippe qui noverim multos homines studiis linguarum praecellentes magis obnoxios huic vitio, quam alios ad (paene dixerim) *morbum etymologizandi* proclivos. Multi recentiorum JCtos Romanos laudarunt, quod potius excolendo studio hoc, quam ineptiis, quibus illi occupari solent, qui tractant de delictis carnalibus, operam darent. Alii contra eos vituperarunt, quod post tantam seriem rerum, ita se gererent, ac si vixerint vigente republica. Sed hoc potius laudi, quam vitio illis duci debet, cum inde praecipue cognoscere possis, quales quantique JCti Romani fuerint.

Quod vero genus scribendi, quod in operibus eorum deprehenditur adtinet, id multi vituperarunt, tam docti quam indocti. Feliciores in hac re sunt Theologi, qui adeo acriter scierunt defendere genus scribendi Apostolorum, ut saltem plebi persuaserint, eleganter scriptos esse libros Novi Foederis. Eos si orationem et dictionem spectas, scripta JCtorum Romanor. superant, adeo ut celeberrimi philologi et historici v. c. *Laurentius Valla*, *Erasmus Roterodamus* (cf. ejus opera ex edit. Clerici T. III. P. I. ep.

335.) *Davide Hume* (cf. ejus history of England Rich. III.) *Rhuhnkenius* (cf. praefatio ad Lexicon Schelleri latine versum p. 2. 3.) quam maxime id laudarint.

Quomodo excoleretur Jurisprudentia periodo secunda, suo loco diximus. Qua ratione vero hacce periodo excolebatur, nunc indicare pergo. Scimus ex Ulpiano (fr. 1. §. 5. D. de Extraordin. cogn.) fuisse institutos Romae juris civilis professores, scimus ex Pomponio Masurium Sabinum (fr. 2. §. 47. D. de O. J.) studiosos habuisse, scimus denique institutam fuisse Romae scholam juridicam (fr. 6. §. 12. D. de Excusat.), nec minus solitos fuisse JCtos scribere opera. Solvebatur autem honorarium professoribus a discipulis et quidem, priusquam scholas suas aperuerint illis praenumerabatur. (fr. 1. §. 5. D. de Extraord. cogn.). Inexpeditum tamen hucusque est, utrum illis etiam ex aerario publico solveretur? num quicunque voluerit, non impetrata facultate, docere potuerit? utrum discipulus scholas unius magistri, vel plurium obiret? quid exigeretur ab eo qui? munere praeceptoris fungi voluerit? et quot annis praeterlapsis putarentur studiosi jurisprudentiam didicisse?

Plurima opera JCtorum, quae in Pandectis citantur, nihil esse apparent, quam libri prae-

legendo destinati, quos nonnunquam illi mutabant et corrigebant, *repetita praelectione* adauctos illos vocantes. Si spectamus numerum librorum ab illis editorum, vel saltem eorum qui in fontibus nostris citantur, videre licebit illa opera in *trecentos Tomos* dissecari comode potuisse, si illo tempore quo pluris venderentur in minutas partes libros dissecare obtinuisset (cf. Hugo §. 318. nota 1). Scribebant autem libros varii argumenti.

1. *Institutiones*, nonquam *Regulas*, nonnunquam *Definitiones* dictas, sive Elementa juris privati, quas vario ordine condere solebant.

2. *Digesta* sive systemata juris privati vastioris paulo argumenti, quam supra memorata scripta. Condebant illi tales libros nonnunquam *ad Edicta* Magistratuum v. c. *Praetoris urbani*, vel *Peregrini*. Nonnunquam appellabant haec scripta *Brevia* vel *Libros Juris Civilis*, quales edidit Sabinus.

3. Vulgo tamen commentabantur JCti Romani in leges, vel plebiscita ut supra diximus. Nec minus colligebant casus de quibus saepius rescriptum fuit, eos appellantes *Responsa*, *Epistolas*, *Facta*. Vel denique scribebant *de Officio magistratuum*, v. c. de Officio proconsulis; vel componebant aut in unum redigebant quaecun-

que memorabilia videbantur sub nomine *Enchiridii*, *Pandectarum* aut *Disputationum*.

4. Deprehenduntur JCti Romani etiam scripsisse *Observationes* ad librum alius cujusque JCti antecessoris sui. Tales libri autem appellantur ex nomine JCtorum illorum v. c. *Ex Q. Mucio*, *Notae ad Sabinum*, *ad Cassium*, *ad Papinianum*.

Quod JCti illa aetate diversi, pars hanc, pars illam sectam sequerentur, tam alii scriptores haucusque nobis noti, quam Gaius in Commentariis narrat. De illis autem haec Pomponius dicit, fr. 2. §. 47. D. O. J. „Maximae auctoritatis fuerunt Atejus Capito, qui „Ofilium secutus est: et Antistius Labeo, qui „omnes hos audivit: institutus est autem a Trae„batio. Ex his Atejus Consul fuit: Labeo no„luit, cum offerretur ei ab Augusto consulatus, „quo suffectus fieret, honorem suscipere: sed „plurimum studiis operam dedit. — — — Hi „duo primum veluti diversas sectas fecerunt: „nam Atejus Capito in his quae ei tradita fu„erant, perseverabat. Labeo ingenii qualitate et „fiducia doctrinae, qui et ceteris operis sapien„tiae operam dederat, plurima innovare insti„tuit." Haec Pomponius. Addit Tacitus Annal. III. 75. „Capitonem Atejum principem in civi„tate locum studiis civilibus assecutum esse, con-

„sulatum vero ei adceleravisse Augustum ut La-
„beonem Antistium, iisdem artibus praecellentem,
„dignatione ejus magistratus anteiret. Sed La-
„beonem incorrupta libertate, et ob id fama
„celebratiorem; Capitonis obsequium dominan-
„tibus magis probatum evasisse." Ad haec cf. Gellius N. A. XIII. 12. Nec eam viri laudem diminuit cavillatione sua adulator Augusti Horatius, optime enim explicuit Heindorfius (ad Satyr. III. 82,) quomodo illa Horatii verba intelligenda sint. Caeterum erat Labeo patrem suum aemulatus, qui bello Philippensi pro libertate fortiter occubuit (cf. Appianus IV. 135.). Appellantur autem auctores scholarum illarum *Cassiani* et *Proculejani*, vel *Proculejani* et *Sabiniani*, quia Cassius, Proculus et Sabinus praecipue illas sectas illustrarunt. Celeberrimi *discipuli C. Atei Capitonis* erant: Masurius Sabinus, C. Cassius Longinus, Coelius Sabinus, Priscus Javolenus, Aburnus Valens, Tuscianus, Salvius Julianus; *M. Antistii Labeonis* vero: M. Cocceius Nerva filius, Sempronius Proculus, Pegasus, Juventius Celsus pater, Juventius Celsus filius, Neratius Priscus (v. Brissonius s. v. *Jurisconsulti*.)

Hucusque tantum ex Pomponii l. c. compertum habuimus, cui sectae quis JCtor. se adplicarit. Quae notitia de veteribus JCtis inde solum nobis aderat. De multis aliis, cum igno-

raremus cur inter se dissentirent, atque in qua re dissensio haec inter illos consisteret, multi credebant, fuisse nonnullos inter eos qui mediam sequerentur viam, quos recentioribus placuit appellare *Miscelliones* vel *Herciscundos.* Putabatur etiam a nonnullis ipsam illam dissensionem inter Capitonem et Labeonem non fuisse magni momenti, vel saltem non ejus generis, quae ex contradictione de jure derivanda esset, sed potius ex studio partium cui quisque illorum deditus fuerit. Denique multi persuasi erant defrixisse studium sectarum post conditum sub Hadriano edictum perpetuum, licet alii contradicerent, affirmantes usque ad Justinianum diversas opiniones JCtos Romanos fovisse, cum primum ille per celebres quinquaginta decisione idem velle idem nolle JCtos coegisset, (cf. Hugo Civilist. Magaz. V. p. 118. sqq.). Quae omnia falsa esse intelligemus, si partim illa quae supra de hac re diximus, partim ea quae alii protulere, observaverimus. Huc accedit auctoritas Gaii in Commentariis, qui ipse fatetur se deditum esse sectae Sabini et Cassii, quos *suos praeceptores* vocat, id est, tales, quorum opinionem sequitur; Proculum contra ejusque asseclas *diversae scholae auctores* appellat. Loca quae hic referri possunt v. apud Hugonem R. RGesch. §. 317. p. 538. Dissensiones autem utrius sectae JCtor. depre-

hendunlur apud Gaium Commentar I. 135. 188. 196. II. 37. 79. 195. III. 70. 87. 97. 104. 133. 167. 178. IV. 114.

CAPUT XXIII.

Cives quotuplicis generis?

Apud Ulpianum fr. 17. D. de Statu hom. haec memorabilia leguntur: *In Orbe Romano qui sunt, Constitutione Imperatoris Antonii Cives effecti sunt.* Uberrime omnium de hac re disputavit *Spancheim* in libro cui titulus *Orbis Romanus* praecipue Exercit. II. 5. Sub nomine Imperatoris *Antonini* subintelligi debere *Antoninum Caracallam* dubio caret, post disputat. *Chr. Frid. Meisteri* (Vratisl. 1793): Haec constitutio Antonini, ut paucis absolvam, non ita intelligenda est, ac si ab eo inde tempore omnes qui in Imperio Romano vixere, exceptis servis, civitate essent donati, nam discrimen illud Civium Latinorum et Peregrinorum etiam sub Caracalla valuit, ut probari potest ex Julio Paulo IV. 9 §. 8. Sent. R. qui illi Imperatori coaequalis *Latinae ingenuae* meminit, (cf. Schulting. ad h. l. Falsissima itaque opinione imbuti sunt, qui putant fuisse tunc omnes homines in Imperio Romano *cives*, extra vero Imperium *barbaros.* Praeter enim locum supra citatum referri hic po-

test Ulpianeor. fragmentor. titul. 3. quo prolixe disputat, quomodo Latini jus Quiritium consequantur. Denique ipse *Justinianus*, qui *c. un. C. de Latina libertate tollenda* distinctionem inter *Latinos* et *Cives* sustulit, in *c. un. C. de dedititia libertate toll.* His prolatis, quomodo illa verba Ulpiani sint intelligenda videamus.

Equidem affirmare ausim, voluisse Caracallam per hanc constitutionem civitate omnibus in Imperio Romano largita, nihil aliud assequi, quam ut omnes qui hucusque in civitatibus Romanis subditis deprehendebantur, jure municipiorum uterentur. Quapropter omnes ab eo inde tempore ingenui civitatis participes facti sunt, qui in municipiis degebant; reliqui habebantur peregrini.

C A P U T XXIV.

Italia et provinciae; praecipui magistratus.

De divisione reipublicae proprie sic dictae usque ad Augustum supra monuimus. Hic quoniam id locus admonuit addimus, illam divisionem in *Italiam* et *provincias* usqne ad Imperatorem Hadrianum obtinuisse. Nam licet sub Augusto dividerentur provinciae in illas quas princeps atquae illas quas senatus regebat, antiqua tamen illa divisio Imperii in Italiam et pro-

vin-

vincias quanquam vocabulotenus, usque ad Hadrianum permansit. Ipsa praedia provincialia, alia erant stipendiaria, alia tributaria. Stipendiaria dicebantur in illis provinciis sita quae proprie populi Romani intelligebantur. Tributaria quae sita erant in provinciis, quae proprie Caesaris esse credebantur, (Gaii Comment. II. 21.). Hadrianus Imperator divisit Italiam in *quatuor Regiones* quibus *Consulares* praefecit, vel, ut Capitolinus (in vita Divi Marci cap. 11.) ait *Juridicos*, qui quanquam viri consulares erant, dignitate Consularium non utebantur. Hos ei postea *Correctores* appellare placuit. 127.)

Magistratus illi non eligebantur a Senatu, sed ab ipso principe. Nec ab eo inde tempore licuit municipibus Decuriones sibi eligere. 128)

De Magistratibus libera republica ignotis, primumque sub Augusto institutis cf. Bachius (l. c. p. 285. sqq. et praecipue p. 291. sqq.). Sub Augusto eligebantur magistratus, ut Tacitus (Annal. I. 15.) ait, etsi potissime arbitrio principis, quidam tamen studiis tribuum, largitionibus ac precibus sordidis. Magistratus li-

127) cf. Spartianus in vita Hadriani cap. 22. Capitolinus in vita Antonini Pii cap. 2. et Divi Marci l. c.

128) cf. Salmasius ad Spartianum l. c. Dodvell in praelationib. Cambdenianis cap. IX. §. 1. -- 11. ed. Oxon. 1692.

bera republica ex Extraordinario factus est Ordinarius 1, *Praefectus urbi.* In provincias mittebatur a principe sic dictus 2, *legatus Augusti* ad tributa et stipendia colligenda. Suarum vero rerum procurandarum causa mittebat Caesar 3. *Procuratores*, primum libertinos postea ordinis aequestris viros. (Tacit. Agricol. cap 4.) Caeterum creabantur consules, ut libera republica obtinuit, partim *Ordinarii* partim *Suffecti*, nec minus Aediles et Praetores. Maximus autem omnium Magistratuum, isque, prout res incidebat, Imperatoribus periculosissimus, *Praefectus praetorio* erat, qui easdem fere vices gerebat, quas olim magister equitum, cum ipse princeps perpetuus dictator putaretur fr. 1. D. de Offic. praef. praet. Reliqua de hoc magistratu infra proferam.

CAPUT XXV.

Nobilissimi JCti.

Libera republica sub Imperatoribusque vixere sequentes:

1. *Mucius Scaevola.* Erat pontifex Maximus temporibus Marianis necatus. Pomponius (fr. 2. §. 41. D. de O. I.) dicit eum jus civile primum constituisse, generatim in libros decem et octo redigendo. In Pandectis exstant

nonnulla fragmenta operum ejus, eaque antiquissima sunt, si illa cum fragmentis operum aliorum qui ibi deprehenduntur, comparas. Videntur ejus scripta fuisse rara, cum nec Pomponius diserte dicat se illa legisse. Compilatores Pandectarum itaque ex aliis qui illa citaverant ea exscripsisse videntur 129). *Muciana cautio*, eum auctorem habuit.

2. *Aquillins Gallus.* Magister fuit Servii Sulpicii, de quo infra dicemus. Celebris est ejus *Stipulatio* dicta *Aquiliana* (cf. Hugo Civilist. Magaz. Tom II. p. 422) et actiones de dolo malo, sive *formulae Aquilianae.*

3. *M. Tulius Cicero.* In Catalogo JCtorum Pomponii in titul. D. de O. J. non legitur re vera nomen illius celebris Oratoris, qui tamen si scripta ejus praecipue librum *Topicorum*, *Libros de Legibus*, de *Officiis*, et *Orationes* (pro majori parte argumenti juridici), animadvertimus, adparebit hoc nomine dignus.

4. *Servius Sulpicius.* Coaequalis Ciceronis ejusque amicus fuit. In Digestis nullum fragmentum exstat ex ejus scriptis, eaque omnia inscribuntur nomine Alfeni Vari discipuli ejus, quae in Basilicis a Servio Sulpicio prodita di-

129) Gibbon in The History of the decline and fall of the Romam Empire Londini 1776. chap. 44 (p. 155. Tomi VIII. vers. German.)

cuntur. Cicero in Bruto cap. 41: dicit: „eum „attulisse hanc artem omnium artium maximam „quasi lucem, ad ea, quae confuse ab aliis aut re„spondebantur aut agebantur et adjunxisse etiam „litterarum scientiam loquendique elegantiam, „quae ex scriptis ejus, quorum similia nulla sint, facillime perspici possint." Quod sese juri civili dederit, hanc ejus rei reddit rationem Pomponius (fr. 2. §. 43. D. O. J.) quod a Q Mucio propter ignorantiam juris civilis, objurgatus esset. Studebat enim arti Oratoriae, nec cupiebat Jurisprudentiae operam dare. Scripsit multa, quorum nonnulla fragmenta apud Gellium exstant. Non immerito dixeris eum esse statorem Jurisprudentiae Romanae. Cicero (l. c.) ait: „magnum usum apud Scaevolam et apud „multos fuisse, artem in hoc anno." Legatus ad Antonium missus mortuus est cum Romam reverteret anno U. C. 711. ob quod statuam in foro positam habuit (Cicero in Philipp. IX. 6.), quae usque ad aetatem Pomponii exstitisse dicitur. Discipulos habuit: *Alfenum Varum*, de quo supra diximus; *Ofilium* qui omnem partem operis fundavit, de quo verbo cf. Hugo R. RGesch. §. 316. nota 4; *Trebatium Testam* Ciceroni et C. Julio Caesari familiarem; *Cascellium* virum magnae audaciae qua contemnebat proscriptiones Triumvirorum.

5. *Labeo* et *Capito.* De his eorumque sectis partim ex illis quae supra protulimus, partim ex Hugonis libro (R. RGesch. §. 324. — 329) percipi potest.

6. *Gajus* cf. Praefatio in Opusculum nostrum.

7. *Aemilius Papinianus.* Erat amicus Septimii Severi Imperatoris; ausus est improbare fratricidium Antonini Caracallae, ideo jussu tyranni occisus traditur. Praelatus est omnibus JCtis a Valentiniano III. Tempore Justiniani celebrabatur dies illa qua quis studiosus juris nomine *Papinianistae* ornatus evasit. In Digestis multa fragmenta ex ejus scriptis exstant, quae fere omnia ob brevitatem, et cum Plinio paene dixerim, nervositatem generis scribendi, difficilia intellectu sunt.

8. *Julius Paulus.* Patavinum fuisse alii credunt, alii vero Tyrium, quod in syntaxi Latinarum vocum aliorum consilio usus sit. Christianis maxime infensus fuit, quos saepe injurioso nomine *desidiae deditos* appellavit. Fuit discipulus Papiniani, sed longe inferior magistro suo. Nam ejus scripta ita obscura, ambigua, verborumque tenebris involuta sunt, ut recte dixeris, eum totum hoc volumen implevisse oraculis flexiloquis et obscuris, ut interpres egeat interprete et sors ipsa referenda sit ad sortes.

Septimii Severi Imperatoris cum Papiniano et aliis in consilio fuit. Scripsit multa quae excerpta sunt in Digestis. Receptas Sententias ejus ad filium, servarunt Wisigothi, quanquam non integra; ea Valentinianus III. semper valere praecipit. Caeterum citatur in constitutione illa Valentinianea ante Ulpianum, quapropter minus recte eum Bachius Ulpiano postposuit. De scriptis ejus cf. Bertrandus in vita hujus JCti.

9. *Ulpianus.* Domitio Ulpiano origo fuit ex urbe Tyro in regione Syria Phaenica, (cf. fr. 1. D. de Censib. Schulting l. c. p. 543.) Vixit temporibus Severi et Antonini. Sub Alexandro Severo magno in honore fuit, et summas dignitates consequutus est. Ejus consiliis in rerum administratione utebatur saepe Imperator, ob quod ab Aelio Lampridio laudatur (cap. 15.). A praetorianis, qui de nocte eum invaserant, interfectus est, quamquam accurrerat in palatium, et ad ipsum Imperatorem matremque ejus confugerat. De scriptis ejus cf. Bertrandus in Vita hujus JCti. Ex scriptis ejus, integer exstat (ita eum appello quoniam ex aliis solum fragmenta supersunt,) *Liber singularis regularum* cui varia, nomina recentiores tribuerunt. Quod tamen hoc nomine vocandus sit, apparet ex comparatione fragm. Ulpian. XX. 6, cum fr. 17. D. de testib. nec minus fragm. V. 6. 7, cum

Colllat. L. Mosaic. et Rom. VI. 2. et fragm. XXVI. 1. cum. Coll. L. M. et R. XVI. 4. A. nonnullis vocatur hic liber (*XXVIII.*) *Tituli ex corpore Ulpiani*, ab aliis *Fragmentum Tilianum*, ab aliis denique *Ulpiani Institutiones.* Vulgare nomen libro huic nostris temporibus inhaesit *Fragmentorum Ulpianeorum*, quo ipse in laudando eo usus sum. Opus hoc est quasi compendium Veteris Jurisprudentiae methodo historico critica illustratae. Tribus partibus olim constitisse videtur; quarum prima a titulo I. usque ad XIX, secunda usque ad finem XXVIII, tertia vero in qua theoria obligationum illustrata fuit, desideratur. Quod reparatum quodammodo est repertis Commentariis Gaii. Petrus Pithoeus celeberrimus Cujacii discipulus praedixerat olim, se perfectum JCtum eum putare qui hunc librum Ulpiani perlegerit. Recte itaque dixeris, eum qui ignorat illa fragmenta se ipsum destituere luce qua illustrari possit. Fragmenta haec non fuerunt inserta Breviario Alariciano ut Bachius credit 130), sed primum ex Codice quem Tillius possederat, nobis innotuere. Edit. princeps est Tilii Parisiis 1509, quam bis repetiit Charondas 1555, ex Codice Gervasiano, 1578 ex codice Auredano. Hugo docuit codices hos duos (Gervasia-

130) l. c. p. 565. cf. Hugo R. RGesch. §. 332. nota 3.

uum et Auredanum) esse transcriptos ex codice Tilliano, et eo ab autographo differre, quod pro lubitu a Charonda multa sint mutata. Codicem ita interpolatum Duarenus, et Claudius Gustanus possidebant nihil differentem a codice Tiliano (cf. Savigny in Zeitschrift etc. Tomo I. p. 319. sqq.). Reliqua de Codicibus et editionibus Ulpiani videre licet apud Hugonem (in Civilistisches Magazin Tomo IV. p. 375 sqq. p. 359 — 407. cf Goeschen in Savigny Zeitschrift. etc. Tomo IV. p. 112). Commentarius optimus in Ulpianum est Schultingii (in laudata Jurisprud. vetere Antejustin.). Novum agressus est scribere Meermanus (in Thesauro Novo juris Civilis et Canonici Tomo VII. Hagae Comitum 1751 — 53.), non absolvit tamen quam ad titulum secundum usque. Joannes Cannegieter edidit Ulpianum cum Commentario Trajecti 1768 in 4. quod vix dignum quod memoretur. Vagabatur olim fama, cui ipse Heineccius praebuit aurem, exstare in Britania MSCr. librum Ulpiani *De edendo* et *De judiciis*. Rem, quomodo sese habeat investigavit et enucleavit Hugo in Civilist. Magazin Tomo I. p. 56. sqq.

10. *Herennius Modestinus* discipulus Ulpiani fuit (fr. 52. §. 20. D. de furtis) cujus ex operibus nihil exstat praeter fragmenta quae in Digestis deprehenduntur.

PERIODUS QUARTA.

a Severo ad Justinianum

CAPUT XXVI.

Status Imperii; Cives quotuplicis generis; Novi magistratus.

1.

Turbulentissimum et pessimum reipublice statum enarrare adgredimur, horrore quodam, ac si fateri licet mentis trepidatione affecti, cum videamus nullius gentis historiam tot tantaque scelera praeseferre, ac vitiis tantis maculatam esse, qualibus res gestae Romanorum a Severo usque ad Justinianum contaminatae apparent. Inquietum Imperium reddiderunt inprimis milites praetoriani, qui pro lubitu Imperatores populum Romanum, illum degenerem a priscis Romanis moderaturos eligebant, eosque modo iis displicuerint Imperio detrudebant. A tempore Diocletiani res tranquillius sese habebant, qui cum quatuor aliis Imperatoribus divisum Imperium regnare coepit. Constantinus Magnus nomen religioni Christianae professus, novam quasi seriem rerum inchoavit. Ille enim spreta antiqua capitali urbe, in aliam partem orbis terrarum, quam usque ad Imperatorem Trajanum barbari inhabitabant, sedem suam transtulit, condita Neo Roma, a suo nomine *Constantinopolis* appellata. Hinc factum ut Italia provinciis caeteris paulatim adnumerari

coeperit, eaque admodum differret ab illa parte Orbis Romani, in qua degere Constantino placuit. Quippe alii mores, alia lingua obtinuit, caeteraque quae cum Jurisprudentia Romana arcte cohaerebant, evanuere. Discrimen illud inter *jus* et *legem* non admodum observabatur ab eo inde tempore quoniam in lingua Graeca verbum νόμος utrumque significat. Invaluit brevi ut in contrahendis obligationibus magis scriptura quam verba observaretur. Nec minus anxietas illa Imperatorum quae in multis locis Codicis Justinianei deprehenditur, (v. c. in c. 8. C. Qui test. fac. poss. in qua scriptum exstat: „humana fragilitas mortis praecipue cogitatione „perturbata") potius ingenio Graeco quam Romano convenit. Tandem quod multi praeviderant, accidit, ut Imperium Romanum ab illis barbaris quos Romani semper conabantur opprimere, invaderetur. Cum enim post celebrem illam in Historiarum Annalibus migrationem gentium ex Oriente in Occidentem, Imperium Romanum, divisione admodum labefactum esset, partemque ejus (Occidentalem puto) reguli Wisigothorum occupavissent, nulla spes apparuit, antiquam illam matrem ad Imperium recentiori tempore in Oriente conditum alliciendi. Quod Justiniano Imperatori quodammodo contigit. Qui pacatis domi et foris se-

ditionibus, post obitum Amalesunthes, Italiam subegit.

Quod *Cives* spectat, hi a tempore Justiniani erant vel (liceat hoc nomine abuti!) ingenui (Cives), vel servi. Hoc factum est per constit. Justinianeam (c. un. C. de Latina libert. toll.) qua sancitum, ut „cum dedititii liberti jam sub-„lati sint, omnibus conditio Romana deferretur." Superfuit tamen differentia civium, quoad dignitatem. Dividebantur enim cives in 1, Illustres, 2, Spectabiles, 3, Clarissimos, 4, Perfectissimos, 5, Egregios. Nec minus dignitas Patriciorum restituta est, de qua infra agemus.

De magistratibus 131) quinam illa aetate fuerint videamus. Constantinus Magnus divisit Orbem Romanum in duo Imperia *Orientale* et *Occidentale,* quorum utrumque in duas *Praefecturas*, et has rursus in *Vicariatus* et *Provincias* subdivisit. Eligebantur *Consules* ut libera republica vigente obtinuit, quorum alter Romae alter vero Contantinopoli degebat. Praecipuus magistratus usque ad Constantinum Magnum erat 1, *Praefectus Praetorio*, ab eo admodum circumscriptus, cum potestate civili relicta a re militari

131) De quibus cf. Pancirolus in Thesaur. Graeviano Tomo VII. p. 1309 Digestorum tit. XI. usque ad XX. quos illustravit *Campianus* in libro de magistratibus Turici 1629 et Auctores quos Haubold l. l. p. 54. citat.

illum removisset. Usque ad Constantinum Magnum obtinebat, ut si quis Imperatorum successorem praefecto praetorio dare vellet, laticlaviam ei per libertum submitteret ut ait Aelius Lampridius in vita Alexandri Severi c. 21. (ed Salmasii). Dignitas ejus summa erat, nam appellatur persaepe *fastigium dignitatum.* Proponebat Edicta, et inter alia horum nomina publicabat, quos ex officio eiecerat, et diversis muneribus inhaerere jusserat; nec poterat unquam ab eo appellari. cf. loca a Jacobo Godofredo in Notitia dignitatum utriusque Imperii e Codice Theodosiano confecta (Tomo VI. Parte II.) s. v. *Praefectus praetorio.*

2. *Magister militum*, sub quo erant *Comites* et *Duces.* Comites autem non alii sunt quam socii, comites, et participes laborum Principis, quosque pro talibus haberi pro praemio princeps cupit. (cf. Jacob. Godofr. ad C. Theod. VI. 13.). Erant autem primi, secundi, et tertii ordinis; et quidem alii erant comites *militares* (Jacobus Godofredus l. c. VI. 14.) alii si hoc verbo uti licet, comites *civiles*, quibus nulla necessitudo cum Magistro militum. Duces inferiores gradu erant Comitibus; de his cf. loca in paratitlo ad C. Theod. libr. VII.

3. *Praepositus sacri cubiculi*, cujus officium erat certo ordine ad Principem adorandum Sa-

lutatores admittere, dignitatis cujusque et praerogativae ratione habita. Salutabantur autem vel adorabantur Imperatores genu flexo. Ortum initium est a Diocletiano, qui primus post Caligulam et Domitianum adorari se passus est (cf. Jacobus Godofredus ad Codicem Theodos. VI. 8.).

4. *Magister Officiorum* erat, qui gubernabat officia palatina. Sub dispositione ejus fuit Schola Agentium in rebus, Mensores et Scrinia, nec minus fabricae et cursus publicus (cf. Jacobus Godofr. in Not. dign. l. c. p. 12.)

5. *Quaestor sacri palatii* ad quem scrinia memoriae epistolarum et libellorum pertinebant. De eo cf. Jacobus Godofredus ad Codicis Theodos. VI. 9.

De *Patriciis* nunc et *Defensoribus urbium* paucis agamus.

Patriciatus dignitas quam maxime differebat a patriciis illis, de quibus I. et II. Periodo egimus. Lege Canuleja et bellis civilibus factum est ut sub Imperatoribus patriciae gentes admodum diminuerentur, nullaque plane ratio patriciorum haberetur. Patriciatus dignitas tandem a Constantino instituta, erat culmen omnium honorum. Quid itaque etiamne consulatui anteponebatur? Ita sane, modo hoc ita explices ut Jacobus Godofredus ad C. Theodos. VI. 6. Dicit ille: „patriciatus honorem caeteris an-

„teponi, non quo publicam dignitatem, quae in
„Reipnblicae luce seu actu versatur (hoc enim
„respectu Consulatui cedunt omnia dignitatum
„culmina, seu Consulatus omnibus fastigiis di-
„gnitatum praeponitur, quando et ipsi Impera-
„tores eo decorabantur); verum quo ad priva-
„tum Principis affectum, quo parentes princi-
„pis Patricii erant et dicebantur; neque patri-
„ciatus nomen tam dignitatis quam Ordinis,
„fuisse nihilque jurisdictionis Patricios habuisse."

De Defensoribus civitatum priusquam haec legerit, id unusquisque in memoriam sibi revocet, quod supra (Capite IX. Historiae) diximus; Civitatum conditio eo modo, instituta fuit sub Imperatoribus, quo libera republica vigebat. A civitatibus enim ipsis tam in Italia quam in provinciis quibus Jus Italicum erat, eligebantur Magistratus. Quarto seculo post Christum natum constitutus fuit magistratus singularis Defensor dictus, cujus erat civitatem cui praepositus fuit, contra praesides provinciarum defendere, illisque obstare si crudeliter cives tractare vellent. Brevi post ordini Decurionum adscripti Defensores urbium fuere, tantamque potestatem consecuti sunt, ut illum regerent. Nec tamen hoc magistratu instituto felices erant civitates, nec ipsi etiam earum defensores, cum partim a civibus quoties praesidibus non resi-

stebant, partim a praesidibus quoties id faciebant, praemerentur; adeo quidem ut nemo jam defensor esse vellet. Quapropter constitutum est ut *patre curiali* natus eo ipso Defensor permaneat. Multa de hac re inveniuntur in Commentariis Jacobi Godofredi ad Codicis Theodos. libr. I. tit. 9. XII. 1.

Denique, quasi epimetrum huic capiti addimus, fuisse tunc triplicis generis judicia in Imperio utroque, *civilia* quae Decuriones, *militaria*, quae Judices militares, *ecclesiastica* quae Clerici exercebant. cf. l. c. lib. I. 8. 9. 10. IV. XI. 36.

CAPUT XXVII.

Status jurisprudentiae ante Justinianum; Justinianus, Tribonianus, Theodora.

Constitutiones principum, quocunque nomine occurrunt, nec minus mores et consuetudines erant praecipui fontes Juris sub Imperatoribus. Rescriptis itaque ut Tertullianus (Apologet. c. 4.) ironice dicit, totam illam veterem et squallentem silvam legum novis principalium rescriptorum et editorum securibus ruscabant et caedebant. Quam minime tamen hoc profuerit jurisprudentiae optime quisquis, modo in-

spexerit statum ejus illa aetate, animadvertet Eo enim perventum est ut JCti quaestionem decidendam sibi propositam solvere nescirent. Quapropter saepissime Imperatores de hac re libellis adibant Valentinianus III. denique statuit, ut quotiescunque tale quidquam iis occurrerit, evolverent libros *Papiniani*, *Pauli*, *Gaii*, *Ulpiani* atque *Modestini*, et secundum eorum opinionem casum propositum deciderent; si vero etiam illos JCtos inter se dissentientes animadvertissent, ut opinionem Papiniani sequerentur, cf. Bachius l. l. p. 553. Unde vides quemadmodum degeneraverint JCti post Alexandrum Severum viventes ab illis antiquis. Id autem eo magis miramur, quo scimus fuisse tunc temporis institutas Scholas juridicas, Romae, Beryti et Constantinopoli. De studio jurisprudentiae quo modo in his scholis fuerit institutum infra videbimus, cum fontes Juris Justinianei pertractaverimus. Nihil enim certi de hac re exstat praeter illa quae Justinianus in constitutione sua ad antecessores profert. Nunc autem cum idoneum locum nancti simus, paucis de Justiniano, Tribonio, et Theodora agere fert animus. Eo praecipue quod Justinianus illis vel hortantibus vel ansam dantibus multa partim mutavit, partim mutari concessit.

Natus est Justinianus anno post Chr. natum.

482 in Illyrico oppido Taurosio 132) patre *Sabbatio*, matre *Bigleniza*, ob filii nuptias maerore exstincta. Stemma ejus accurate exhibuit Heineccius (In Historia juris p. 485). In subsidium dominationis a Justino Imperatore avunculo suo cooptatus 133), apellatus est *Justinianus*, qui olim *Upravda* vocabatur. Adeptus est Imperium anno 527. et postquam per triginta octo annos regnaverat, morte obiit anno 565. Saevus ille vultus et rubor, quo se contra pudorem Domitianus muniebat, falso a nonnullis dicitur Justiniano fuisse, notante Gibbono. Nam iidem ipsi qui talia narrant, affirmare non dubitant statura gracili et dulci facie fuisse. Ipse comis et urbanus, facile secum colloqui patiebatur, rogantesque benigne exaudiebat, non obtrusus nec absconditus, ut mos est regnantibus in Oriente. Merito tamen accusatur deperdite amasse Theodoram suam conjugem, quod multorum malorum causa fuit. Continentia et frugalitas quae in eo laudatur, non est derivanda ex philosophia, nam illa divina arte caruit, sed ex superstitione qua admodum fuit imbutus. Orthodoxus autem adeo fuisse

132) Qui Polonos a *Lecho* derivare amant, contendant, nobis adversantibus, Justinianum Imperatorem esse *Polonum* origine.

133) cf. *Gibbon* l. c. chap. 45.

dicitur, ut diligentissime illa observaret quae Sancta Ecclesia de jejunio praecepit; quod merito laudatur. Saepe famuli mirabantur corpus domini sui inediae et vigiliarum patiens, cum multoties deprehensus sit paululum somno requietus vel scribendo vel lectitando a diluculo usque ad crepusculum occupatus. Quod tamen, ut recte Historici observant, magis obfuit quam profuit Imperio. Occupabatur musica, architectura, poesi, philosophia, jurisprudentia et theologia. Quod etsi in Rege laudandum, tamen ideo vituperandum in Justiniano videtur, quod admodum illis rebus deditus pateretur a Theodora et ministris suis provincias diripi et populum vexari. Gloriae cupidine motus jussit sibi exstrui statuam, quae saeculo decimo quarto reparata occasum Imperii perduraverat. Eam Turcae Constantinopoli capta recuserunt, armaque inde fabricaverunt, quibus uterentur contra Christianos, quos Iustinianus, huic vel illi eorum sectae dum in vivis fuit favens, admodum turbabat, ipse, quid sibi vellet sacratissimus princeps, ut se nominare amat, inscius.

Cum 134) Imperium occupasset Justinianus, rem arduam et difficilem, consilium scilicet colligendorum fontium juris Romani suscepit. Le-

134) Gibbon l. c. chap. 44.

gum enim cujusvis generis tantus acervus tunc temporis fuit, ut merito dixeris, fuisse onus multorum camelorum. Quas indocti incultique illius aetatis JCti, quique ut fabulosus ille Tantalus omnibus abundantes sitiebant, neque legebant, nec legere ob suam ignorantiam poterant. Homines Graeci, qui utebantur legibus Romanis, non intelligebant latine, neque illi qui jurisprudentiae dabant operam, perfecte eam callebant, cum ipsi professores qui Beryti et Constantinopoli jurisprudentiam profitebantur, latine raro scriberent. Justinianus qui a pueris huic linguae, et cum adolevisset jurisprudentiae operam dabat, quique per totam suam vitam vel cum uxore sua rixabatur vel leges cudebat, id ut potuit, ingenio et opera Triboniani usus, perfecit.

Natus Tribonianus est Sidae in Pamphilia. Erat, ut ejus aetas ferebat, omnibus artibus scientiis et doctrinis instructus, adeo, ut, quod etiam nostris temporibus in multis admiramur, de omnibus tam apud peritos quam imperitos disserere sciret. Jam carminibus, jam pedestri oratione varia argumenta tractabat. Scripsit enim opera mathematica, juridica, historica, theologica; pangebat carmina, et delineavit etiam geographiam planetarum. Fovebat literas tam Graecas quam Latinas, sed praecipue

illis studebat rebus, quae, ut Glossatores ajunt, *panem dant.* Adeptus est summos honores: primum enim Magisterium Officiorum, dein Quaesturam sacri Palatii, tandem Consulatum honorarium; unde saepe Exquestor et Exconsul appellatur. Omnes timebant potentiam tanti viri, admirabantur dicta et facta ejus, nec ei invidebant, quoniam mira comitas et urbanitas animos mitigabat. Licet minister esset principis Orthodoxi, saepe tamen de negligentia cultus divini et de atheismo accusabatur. Licet verbum justitiae semper ei in ore versaretur, tamen in gratiam plus solventis vel antiquas leges mutabat, vel novas condebat. Cum diu gratia et opibus Justiniani floreret, seditio ob ejus invidiam orta fuit Constantinopoli, clamabantque omnes ut magistratu se abdicare Tribonianus cogeretur. Quod Justinianus, donec ira defervuerint, concessit; sed brevi post hominem amantissimum et muneri et gratiae suae restituit. Et merito; nullum enim mancipium sacratissimus princeps habuerit, quod Tribonianum adulatione adaequaret; cum is scribere non erubesceret in panegyrico Justiniano dicto, se vereri ne ille ob tot tantasque animi dotes, ut olim Elias et Romulus, in coelum vivus raperetur.

Monuimus supra, multas leges antiquas in gratiam Theodorae suae conjugis mutavisse

Justinianum, quapropter etiam de illa nonnulla proferam.

Fuit illa Acacii cujusdam filia 135), qui sub Anastasio Imperatore stabulae ursorum praepositus erat. Mortuo patre omnibus nequitiis Theodora se dederat, corpusque suum plus offerenti venale habuerat, innata lubidine obstricta, nam ex insula Cypro originem ducebat. Cum se in concubitatum Ecebulo cuidam Pentapoleos praesidi emancipavisset, ab eoque repudiata fuisset, Constantinopolin revertit. Ab eo inde tempore mimarum more, (nam in scenam, etiam dum Constantinopoli fuerat prodibat,) aliam vitae rationem inivit. Domi enim seclusa a consuetudine hominum procul se tenens lanificio vitam sustentabat, sperans quod olim somnio conceperat, futuram se uxorem magni cujusdam regis. Nec spe frustrata est; adeo enim Justinianum qui senescente indies Justino avunculo, solus fere regnabat, devincire scivit, ut is, mortuo illo lachrymas matris ne cum Theodora matrimonium iniret contemnens, eam uxorem duxerit, atque, ut diximus, constituerit, ut ab eo inde tempore liceret Senatoribus mimas ducere uxores. Callida mulier id paulo effecit, ut Justinianus cum ea participaret Im-

135) Gibbon l. c. chap. 40.

perium magistratusque in ejus et Justiniani verba jurarent 136). Ipsa impotentem admodum in Imperio se gerebat, minabatur enim cuicunque, qui ejus nutum non observaverit, se eum excoriari facturam. Quemadmodum deditus uxori suae fuerit Justinianus, videre licet vel ex N. VIII. cap. l. ubi dicit: *haec omnia apud nos cogitantes, et hic quoque participem sumentes eam, que a Deo data est nobis, reverendissimam coujugem.* Obiit tandem 548 p. Chr. n. immaturum enixa partum, cum corpus habuisset languidum libidinibus, et finivit vitam ut Victor Turonnensis ait canceris plaga toto corpore perfusa. Ea a Baronio *Eva*, *Delila*, *Herodias*, *civis inferni*, *alumna daemonum*, *satanico agitata spiritu*, *cestro percita diabolico*, dicitur.

C A P U T XXVIII.

Fontes juris Antejustiniani.

In indicandis fontibus juris Antejustinianei eam diligentiam quam requirit Hauboldus in

136) N. VIII. tit. 3. Juro ego per Deum omnipotentem, et filium ejus unigenitum, dominum nostrum Jesum Christum, et Spiritum Sanctum, et per sanctam gloriosam Dei genitricem et semper virginem Mariam, et per quatuor Evangelia quae in manibus meis teneo, et per sanctos Archangelos Michaelem et Gabrielem, puram conscientiam germanumque servitium me servaturum sacratissimis *dominis* Justiniano et Theodorae conjugi ejus.

opusculo nuper edito 137) nec adhibere possumus, nec cur eam adhibeamus necessarium videmus. Destitutis nobis enim omnibus fere subsidiis nihil aliud facere licet quam ea conscribere, quae vel memoria tenemus vel ex penu nostra literaria qualicunque expiscari queamus. Accedit, quod eo consilio solum hunc libellum conscribere proposuimus, ut in scholis nostris habeamus quam cum studiosis communicemus, relegantes illos qui solidiorem de quacunque parte juris cognitionem percipere voluerint, (sed ah! quam rari illi sunt!) ad vastiores libros ab aliis confectos. Quid praeterea omnia in medium proferam cum illa pro maxima parte reservanda sint vivae magistri voci?

Omnium primum videamus de Codice Theodosiano.

Sub nomine codicis etsi omnes libri accipiuntur usu vulgari, tamen ab illis qui accurate loqui amant, distinguuntur a voluminibus eo, quod ita appellantur ordinarie libri forma quadrata vel quadrangula (cf. Schulting. ad Pauli R. S. III. 4. §. 87.). Constitutiones Imperatorias a variis collectas scimus; quarum collectionum tamen illae sunt celeberrimae quae occurrunt

137) Anleitung zur genaueren Quellenkunde des Roem. Rechts in Grundrisse, Leipzig 1818.

sub nominibus Codicis Gregoriani, Hermogeniani, Theodosiani et Justinianei. Conditus autem est Codex Theodosianus non a Theodosio Magno, sed a Theodosio Juniore anno 438. post Chr. n. (cf. Jacobi Godofredi prolegom. ad Cod. Theodos. T. I. p. 222. sqq.) eo consilio, quod, ut ipse ait, tam pauci aetate sua extiterint, qui juris civilis scientia ditarentur et soliditatem verae doctrinae perceperint (cf. Novella I. Cod. Theodos. ad Florent. emisso.). Confectus autem est per octo viros qui l. c. enumerantur. Statim ut Codex hic consumatus fuit et confectus, publice quoque promulgatus est et receptus per Orientem et Occidentem pariter (cf. Jacob. Godofredus in prolegom. p. 227.). De materia hujus Codicis, deque naevis et erroribus Conditorum ejus; nec minus de usu et auctoritate quinti saeculi decursu et ingressu sexti per Orientem et Occidentem; etiam in Italia sub Ostrogothis et sub Vandalis in Africa, cf. Jacobus Godofredus in prolegomenis p. 225. sqq. Constat sexdecem libris, quorum quilibet in titulos et hi rursus in constitutiones dividuntur. In collocandis constitutionibus observatus est temporum et Consulum ordo, quod apprime utile ad notandum juris progressum et immutationem, atque adeo legum conciliationem. In qua tamen parte absolvenda conditores Codicis saepe haesisse, ob confusa

Imperatorum et Consulum nomina, (quae res intricatam Chronologiam fecit) ostendit idem Godofredus. Libris illis sexdecem additae sunt constitutiones Novellae imperatorum Theodosii Valentiniani, Marciani, Majoriani, Severi et Anthemii. Editio princeps Basileae 1528 per J. Sichardum, 138) de qua cf. Hugo in indice fontium Juris civilis (ad calcem J. Pauli Sentent. Recept. Berolini 1795) p. 130. Optima editio est Jacobi Godofredi quae prodiit 1665 Lugduni in f. Tomis VI. opera et studio Antonii Marvilii. Jacobus enim Godofredus, qui per triginta fere annos in Codice Theodosiano restituendo et illustrando versatus erat, obiit Genevae 1652. Morte praeventus omnia quae collegerat in schedis reliquit, quas Marvillius sibi comparavit et edidit ab ipso Godofredo admonitus ut tale officium aliquando praestaret, si vera sunt quae Marvilius in fine praefat. ad Codicem Theodos. refert. Meliorem editionem paravit Jo. Dan. Ritter. Lipsiae in Tomis VI. anno 1736 — 1745 in f. Tomus sextus dividitur in duas partes, quarum altera continet notitiam dignitatum civilium et militarium utriusque Imperii, et alia quae hic enumerare non lubet.

Transeamus nunc ad indicandos fontes juris

138) quem sub Theodosio II. vixisse Desquiron nuper contendebat cf. Savigny l. c. (nota 56. supra)

intricatus [illegible]

Romani qui in *Breviario* sic dicto *Alariciano* deprehenduntur; de quo pauca praefamur.

Inter omnes constat Alaricum Wisigothorum regem, qui anno 506 post Chr. natum praeter Hispanias provincias Galliae ad meridiem sitas possidebat, sede sua Tolosae posita, victis Romanis concessisse suis vivere legibus. Adscitis ille in consilium primoribus sui regni statuit, ut quoddam Corpus Juris Romani conderetur, quo homines sub ejus potestate degentes, uti possent. Ejus condendi curam mandasse eum Aniano cuidam ex suis Referendariis, multi hucusque putabant Quod Jacobus Godofredus in prolegomenis ad Codicem Theodos. p. 233. refutavit, cum docuisset: mandatum esse ab Alarico, Aniano et Goiárico Comiti, ut quam optime omnia fierent, et Anianum ut major adhiberetur fides exemplaribus se teste conscriptis unicuique eorum suum nomen adscripsisse, indeque errorem illum ortum. Codex hic sub variis nominibus olim occurrebat, sub Legis Romanae, Legum Romanarum, Corporis Theodosiani; 139) nomen vero Breviarii Alariciani primum saeculo decimo sexto ut constat, accepit

Praeter constitutiones ex Codice Theodosii, usi sunt conditores illi Gothici Hermogeniani et

139) cf. Auctores quos Schulting. citat in praefat. ad l. f.

Gregoriani Codicibus, Pauli Receptis Sententiis, Gaii Institutionibus, Novellis Imperialibus, et fragmento Papiniani ex libro I. ejus Responsorum. „Ex his Paulus genuinus relictus, licet, quo eum melius intelligerent homines illa aetate, verbis aliis versus deprehendatur. Gaium tamen adeo Wisigothi dilaceraverunt, ut, (verbis Schultingii utor) vix in Gajo Gajum possis agnoscere. Nihil autem in praeclarum suum Corpus Juris receperunt barbari illi Compilatores quam *Institutiones* Gaii, ex Pauli vero scriptis *Receptas Sententias*. Praecepit tamen Goiaricus, ut de recentioribus quia hoc lex ista (Breviarium putat) non evidenter ostendit, in jure, hoc est, in Pauli Sententiis, sub titulo de dotibus requiratur, aut certe in Pauli Responsis sub titulo de re uxoria (c. 2. C. Theod. III. 13.). Editio princeps hujus Gaii, ut ita dicam Wisigothici prodiit 1517 sine loco 140). Pauli ed. pr. prodiit Parisiis 1525 a Bouchardo. In usum praelectionum edidit Gust. Hugo Berolini 1795.

Praeter scripta illorum JCtorum deprehenduntur in Breviario Alariciano duo Codices *Gregorianus* et *Hermogenianus*. Codex Hermogenianus occurrit in consultatione Veteris JCti sub no-

140) cf. Hugo in Indice p. 123. Antiquissimam editionem Gaii et Pauli descripsit idem in Civilist. Magazin T. II. p. 246.

mine *Corpus Hermogeniani*, in Legibus vero Burgundionum (de quibus mox dicemus) sub appellatione *Legis Romanae* et *Legis Hermogeniani.* Uterque Codex est collectio rescriptorum Imperatorum a quodam Gregorio et Hermogenio vel Hermogeniano (de quibus cf. Schulting. ad tit. I. Codicis Hermogen.) sub Diocletiano vel paulo post (ut putat Hugo R. RGesch. §. 379. contradicente Schultingio l. c.) confecta. In Codice Gregoriano occurrit antiquissima constitutio Severi et Antonini Imper. novissima vero est Maximi Diocletiani et Maximiani. In Hermogeniano antiquissima est Aurelii, novissimae desideratur inscriptio. Edit. principem. 1528 excudebat Basileae Henricus Petrus (cf. Hugo in Indice supra laud. p. 130.). Multa lectu digna de his Codicibus inveniuntur in prolegomenis Jacobi Godofredi ad Codicem Theodos. p. 219. sqq.

Quamquam Gothi et Franci plurimi hoc Breviarium faciebant, raro tamen transcribebatur integrum. Homines enim illius aetatis contenti fuerunt interpretatione transcripta quam appellabant *Scintillam.*

Alariciano more gessit se *Gundebaldus* rex Burgundionum, qui Romanis sub Imperio suo degentibus Codicem juris condi jussit. Compositus est ex illis scriptis, quibus Breviarium

Alaricianum constat: Occurrit sub nomine *Papiani Liber Responsorum*, quod nomen corruptum esse ex verbo *Papiniani* ostendit Savigny. Plurimi tamen affirmant Papiani librum dici debere, cum fuerit confectus a Papiano quodam. Sed hoc falsum est. Savigny enim docuit ideo hoc nomine appellasse librum homines, quod in fine Codicis Alariciani deprehendatur fragmentum ex Papiniano in nomen Papiani corruptum: ex quo Codice suum confecisse Burgundiones supra monuimus. Compilatus est iste Codex a quodam Gotho Romano, ut patet ex titulo 2 et 6, ubi memorat *Nationem suam* et *Dominum Regem*. Constat 46. titulis. Editio princeps est Cujacii sub finem Codicis Theodosiani anno 1566 in f. Lugduni apud Guil. Rovillium. Specimen novae editionis scripsit *Barkow* Berolini 1817.

Omnia haec fragmenta JCtorum, quae hucusque enumeravimus, collegit Antonius Schulting. Professor Lugduni Batavorum, et edidit ibidem 1717 in 4to apud Jo. van der Linden, sub titulo *Jurisprudentia vetus Ante-justinianea*. Illustravit eam notis tam aliorum quam suis ob quod magnae gratiae ei debentur. Cum autem omisisset Codicem Theodosianum, operae pretium Hugoni videbatur novam ejus libri editionem procurare, cui insertus esset ille Co-

dex. In partes operis aliis advocatis (qui in praefatione quae hucusque desideratur ab eo enumerabuntur) propositum ad finem perduxit. Omisit Commentarios tam Godofredianos quam illos quos collegit Schultingius. Editio Schultingii repetita est Lipsiae ex officina Weidmanniana anno 1737 in 4to in quam praefatus est Ayrerus.

Enumeremus nunc alios fontes, qui non deprehenduntur in tribus illis Codicibus, quos tamen seorsim olim editos inseruere Schultingius et Hugo libro supra laudato.

Mosaicarum et Romanarum Legum Collatio. Confecta illa est ex integris Papiniani, Pauli, Ulpiani, Gaii, Modestini, aliorumque veterum Juris auctorum libris, item ex Codd. Gregoriano, Hermogeniano, Theodosiano desumpta, et in tit. XVI. distributa. Jam antea fuit Tillio visa, qui a Licinio Rufino compositam esse ajebat, conjecturane, an potius ex veteris libri fide, incertum. Chistianum scriptorem fuisse ipsa suscepti argumenti ratio, e Moyse sacraque scriptura ductae sententiae, clare ostendunt. Professione Jurisconsultum non fuisse colligat quis ex praefatione tituli VII. cum ita jurisconsultos alloquitur: *Scitote, Jurisconsulti, quia Moyses prius hoc statuit*; prodens, se in eorum numero non fuisse. Videtur coaevus Cassiodori. Ar-

gumenta praebet Jacobus Godofredus in Prolegomenis Codicis Theodos. cap. 3: ex quo haec sumpsimus. Edit. princ. 1573. 4. Parisiis ap. R. Stephanum, ex bibliotheca *P. Pithoei.*

Consultatio Veteris cujusdam Jurisconsulti, cujus nomen incompertum. Proponit in hoc opusculo quidam JCtus suas et aliorum sententias, una cum inscriptionibus et subscriptionibus ex Codicibus Gregoriano, Hermogeniano, Theodosiano, Sententiis Pauli, libris et titulis adnotatis. Editio princeps prodiit Parisiis 1597. Novissima est Schultingii et Hugonis l. c.

Dosithei Magistri Liber III. continens Divi Adriani Imp. Sententias et Epistolas. Est fragmentum ex scriptis cujusdam JCti (quem nonnulli Ulpianum putant) de *Juris speciebus et manumissionibus*, quod Dositheus quidam graece vertit. Hic liber latine versus fuit inventus a Claudio Puteano, quem ille cum Cujacio communicavit. Cujaciana itaque est editio princeps sub finem Codicis Theodosiani supra laudati. Graecum textum seculo praeterlapso eruit Mathias Roeverus, atque edidit L. B. 1739. Reperitur apud Schultingium et Hugonem l. c.

Fragmentum cujusdam Graeci JCti; quod in biblioteca Escuriali invenit Tychsen. Edit. princeps est Erbii in Hugo's Civilist. Magaz. Tomo V. p. 243. sqq.

Fragmentum Veteris Jurisconsulti de jure Fisci, ed. princeps Berolini 1820. Fragmentum hoc Veronae invenit Niebuhr, quod communicatum secum Savignius in *Zeitschrift etc. Tomo III. p.* 150. *sqq.* et *Goeschen* ad calcem Gaii Institutionum edit. princ. Berolini 1820 edidit.

De reliquis fontibus juris qui apud Schultingium et Hugonem desiderantur cf. Hoffmann in Historia juris Romano — Justinianei (ed. l.) Savigny in Zeitschrift. T. III. p. 389. sqq. p. 408. sqq.

Sequitur tertius Codex juris jussu Theodorici regis Ostrogothorum conditus, qui appellatur *Edictum Theodorici.* Collectum fuit ex scriptis JCtor. Romanor. et illis Codicibus, sed multo pejus. Non servarunt enim ejus compilatores integra scripta JCtorum ut fecerunt illi, sed per articulos omnia disponentes omnia confuderunt. Editiones optimae laudantur a Bachio l. c. p. 563. Commentatus est nuper in hoc Edictum Rhom (Halae 1816), quem librum perlegere mihi non licuit.

CAPUT XXIX.

Fontes juris Justinianei et Postjustinianei.

Jam ex supra prolatis manifestum est, collectiones illas tam Regum barbarorum quam

The-

Theodosianam non esse complexas, nisi vel partem operum JCtor. Romanorum, vel constitutiones Imperatorias; neque illas omnes, cum Theodosius aptas solum praxi judiciariae videatur colligi curasse, ut coniicere licet ex iis qnae supersunt, licet pars magna earum perierit. Aliam viam ingressus est princeps sacratissimus Justinianus; quod quo modo confecerit priusquam enarraverimus, praemonemus, jam Divum Julium Caesarem fovisse consilium (Sueton. in ejus vita cap. 44.) condendi Codicis Juris Romani. Quod tamen praemature mortuus ad finem non perduxit. Justinianus videtur in primis nihil aliud conatus quam illum quem Theodosius confici jusserat codicem corrigere. Condi enim jussit ejus more Codicem legum, dein meliora persuasus illa fragmenta JCtor. Romanorum unde clara lux accendi constitutionibus Imperatoriis posse haud frustra speraverat colligi voluit, quod Digestum seu Pandectas appellavit. Tandem Jnstitutiones vel prima elementa juris ita componi optavit, ut in omnibus his tribus operibus conspexeris mirabili modo antiqua cum recentibus, absona cum consonantibus, apta cum cum ineptis conjuncta. Sed singullatim de omnibus videamus, et quidem eo ordine, quo omnia collecta exstant.

I. *Codex.* Adscito in consilium Justinianus fi-

delissimo suo Triboniano caeterisque ministris, quos prout dignitate praecellunt (in §. 1. const. de novo codice faciendo et §. 2. Const. de Justin. Codice confirm) enumerat, jussit omnes constitutiones, quae in Codicibus Gregoriano, Hermogeniano et Theodosiano, nec minus eas, quae post conditum Codicem a Theodosio emissae fuere, tandem et illas, quas ipse ediderat colligi, quibus ut ipse ait, multitudines litium amputarentur; resecatis omnibus quae absona viderint (d. c. §. 2.). Praecepit iis ut vestigia prementes compilatorum Codicis Theodosiani, constitutionum ordinem non solum ex adjectis diebus consulibusque, sed etiam ex ipsa compositione claram fecerint, primis in primo, secundis in loco secundo, ponendis. Hoc illi perfecerunt in XII. libros, ut olim Decemvirales erant leges, illa redigentes. Exceptum codicem et sua manu subscriptum promulgari jussit Justinianus, missumque ad omnes sui Imperii magistratus normam esse statuit, secundum quam lites deciderentur. Nec minus praecepit ut festis diebus ad januas templorum, recitationes constitutionum ex eo fierent, quo ad omnium notitiam valerent pervenire (d. c. §. 5.). Si vero judices ausi fuerint decidere secundum antiquas leges que in hoc Codice non invenirentur, falsi criminis accusarentur.

II. *Digesta* seu *Pandectae*. Aliud gravius

eoque difficilius peragendum superfuit. Colligenda erant fragmenta veterum JCtorum, ex quibus constitutiones Imperatoriae illustrarentur. Illa autem, secundum ejus opinionem ita erant confusa ut in infinitum omnis legum trames extenderetur, et nullius humanae naturae capacitate concluderetur (const. §. 1. De conceptione Digestor.). Quod cum nemo neque sperare neque optare ausus esset, rem sibi difficillimam, immo magis impossibilem visam esse, ipse fatetur. Sed manibus ad coelum erectis aeterno auxilio invocato, eam quoque curam suo se reposuisse animo dicit, Deo fretum, qui et res penitus desperatas donare, et consummare suae virtutis magnitudine potest (de const. §. 2.). Hoc opus perfici jussit vigilantissimi animi Triboniani sui gubernatione, data ei potestate socios sibi eligendi quos idoneos tanto labori probaverit (de const. §. 3). Septemdecim ab eo electi sunt qui enumerantur in §. 9. constit. de Confirmatione Digestorum. Concessit illis decennium quo id perficerent; illi tamen vel taedio laboris capti, vel quia facillimam perfectu rem putabant, vix elapso triennio opus hoc, ut Justinianus putabat desperabile, ad finem perduxerunt. Locuples literaria penus Triboniani praebuit materiem templo illi justitiae Romanae exstruendo idoneam. Fabricius Bibl.

Graeca Tomo III. p. 488. sqq. quadraginta JCtos ex quorum scriptis Pandectae sunt compositae memorat. Haec excerpta in libros *Quinquaginta* illi divisere, tricies centenis millibus versuum vel sententiarum in centum quinquaginta redactis. Vetuit Justinianus (ne ob scripturam aliqua foret in posterum dubitatio,) per siglorum captiones et compendiosa aenigmata, vel per specialia sigla numerorum omnia manifestare, (d. const. §. 11.). Tandem praecepit, ut nullae leges in illos libros reciperentur, nisi illae quas judiciorum frequentissimus ordo exercuerit, vel longa consuetudo, almae suae urbis comprobaverit. Excerpta autem sunt scripta non solum Latina sed etiam Graeca, quae ut vulgo creditur Burgundio (obiit anno 1194 post Chr. nat:) latine interpretatus est, quamvis nec diligenter nec eleganter. Graeca in plerisque Pandectarum editionibus vulgaribus desiderantur.

III. *Institutiones.* Confectis duobus illis operibus, cum ad inmensam magnitudinem creverint fontes juris, qui tamen in angustum redigendi erant, necessarium esse conspexit Justinianus confici librum jubere, qui esset tamquam prima Elementa Jurisprudentiae Romanae, quibus rudis animus studiosi simplicibus enutritus, facilius ad altioris prudentiae redigeretur scientiam (§. 11. const. De concept. Di-

gestor). Quapropter cum sacratissimas constitutiones in luculentam erexerit consonantiam, suamque extendisset curam ad immensa veteris prudentiae volumina, et opus desperatum quasi *per medium profundum eundo*, coelesti favore adimplevisset, Triboniano suo, et aliis, quorum circa suas jussiones fidem probatam habuit, mandavit id conficere vellent.

Priusquam diligentius animadverterimus in illa sub auspiciis Justiniani confecta opera, videamus quid *critici* de hac re judicent.

Quoniam ipse Justinianus fatetur, se nihil aliud fecisse, nisi colligi, quae alii scripserant, eaque in ordinem redigi curasse, animadvertere tantum decet quonam modo Collectionem eam instituerit. Quod ipsum ordinem rerum quem in libris suis observavit adtinet, multis ille, ut minus concinne expositus, displicuit. Quod vero ipsam electionem constitutionum Antecessorum ejus spectat, in eo laudandum esse multi putant, quod alienus ab ambitione, quaecunque optima censuerit, in Corpus suum redigi curaverit. Nec culpandum esse, quod non observaverit differentiam illam Paganorum et Christianorum quam Theodosius superstitiosus superesse voluit, quoniam paulatim ita proclivi omnes inventi sunt ad cultum Christianum, ut minus recte esset factum, ea inseri jubere, quae

in rerum natura tempore Justiniani non exstitere. Sed hoc vituperandum est, quod JCti sub Augusto et Tiberio cruda adhuc servitute libere loquentes non citantur ab eo, et quod ex scriptis JCtorum libera republica vigentium solum tres excerpti deprehenduntur. Respuit fidelissimus satelles Justinianeus scripta Catonis, Scaevolae et Sulpicii, illos potius citare amans qui, utpote ejus populares, in multis rebus similes ei fuerunt 141). Respondet Schultingius (l. c. p. 883) Francisco Hottomano qui admodum in Tribonianum invectus est, eum ipsa necessitate coactum fuisse negligere illa quae operi, quale Justinianei libri esse debebant, minime responderint. Quod ut ut concedo, doleo tamen illo ita se agente nos tale perpessos esse damnum, quale nunc reparare, nec licet, nec licebit. Caeterum vera fateri licet, nobilissimos JCtos veteris reipublicae, et illos fere qui sub primis Imperatoribus vixerunt, nisi excipias genus scribendi, prae Papiniano et Ulpiano tanquam pigmaeos prae gigantibus apparere. Licet ipse sacratissimus princeps fateatur se omnia aboleri jussisse quidquid *Seditiosi* inventum fuerit in scriptis JCtor quae excerpi curaverat, attamen ejus sceleris, cujus a recentioribus ar-

141) Schulting in Oratione *culpandusne sit Tribonianus etc.* (in Jurisprud. veter. Antejustin p. 897.)

guitur, quod jusserit omnia illa excerpta opera aboleri, injuste accusatur. Accusanda potius est ignorantia et barbaries seculi ejus, quae illa quibus ab eo inde tempore opus se non habituram putabat, facile passa sit interire. Quantum praeterea putas interiisse monumentorum bellis civilibus et incursionibus barbarorum flagrantibus, cum ipse Pomponius memoret, multos libros antiquorum JCtor vel omnino periisse, vel laceratos exstare? (Schulting l. c. p. 893) Sacratissimus princeps edixit, nullam antinomiam esse in his libris, sed unam concordiam, unam consequentiam, in illis vel deprehendi, vel inveniri debere (d. const. §, 8. De conceptione Digestor.); quod quomodo ei cesserit, infra videbimus.

Diligentius nunc inquirentibus nobis in Corpus illud Juris Justinianeum, (quid enim fastidiamus verbum quod usu est vulgare factum?) in primis occurrit difficultas, quod nullus liber invenitur, qui critice hanc rem illustret. Justinianus ita divisit suos libros, ut omnes seorsim editi singularem faciant partem; Digesta ipsa subdivisit in *septem partes.* Aliam divisionem excogitarunt Glossatores. Diviserunt enim Digesta in tres partes, totum vero Corpus juris in *partes quinque.* Quartam partem excepit Codicis Justinianei liber I. usque ad X; quin-

tam libri reliqui duo, cum adjunctis Novellis. Huic nonnunquam adnumerabantur Institutiones, nonnunquam sextam partem componebant. Duplex ratio explicandorum illorum librorum Bononiae obtinuit. Erat enim vel *Lectio pura ordinaria*, scilicet explanatio primae partis Digestorum et Codicis, et *Lectio extraordinaria*, sive explicatio reliquarum partium Corporis Juris, exceptis Institutionibus, quas utpote partem juris minoris momenti, Doctores artis Notariae exponebant. Digesta diviserunt glossatores in *Vetus*, a libro I. usque ad rubricam *de divortiis* libri XXIV. *Infortiatum* usque ad libr. XXXVIII. *Novum* usque ad finem. Digesti Infortiati libri XXV. XXVI. XXVII. et dimidius liber XXVIII. nonnunquam seorsim veniebant, vocabanturque *Tres Partes*. Ideoque deprehenditur illud Digestum *Cum tribus partibus* et *Sine tribus partibus*. Nomen trium partium inde derivatur, quod tres illi et dimidius liber incipit a fr. 82. D. ad Legem Falcid, et quidem a medio illius fragmenti, ubi legitur *tres partes* (cf. Hugo in Civilist. Magaz. III. p. 183. V. p. 1. sqq). Putarim dissentiente Hugone (Civilist. Magaz. IV. p. 85), Glossatores non sua sponte eam divisionem excogitasse, sed prout partes illae in manus iis inciderint, eas fecisse. Sunt tamen libri MSCr. qui divisi-

onem illam ignorant, licet antiqui sint. Quod quo modo acciderit, priusquam explicem, rem paulo altius repetere cogor.

Seculo XI. fabula excogitata est ridicula 142), Imperatorem Lotharium anno 1135. post. Chr. n. bellum cum republica Amalphiensi gessisse auxilio Pisanorum usum. Quibus adjuvantibus cum Lotharius Amalphi occupavisset, rogasse Pisanos ut in mercedem laboris concederetur iis antiquus liber MSCr. Corporis Juris Justinianei, qui in hac urbe eousque adservabatur. Licet ille qui talia narrat ipse affirmet se vidisse et legisse literas Lotharii quibus id quod Pisani rogabant, Imperator concesserat 143), nos tamen chronologiae ratione habita illum historicum falsi arguere audemus. Et quid ni, cum ipsi Glossatores dicant, allatum esse librum illum Constantinopoli Romam, et inde Pisas nec de urbe Amalphi somniant? Nihil itaque ex illius fabulatoris verbis elici posse puto, quam exemplar quoddam Corporis Juris Justinianei asservatum fuisse Amalphi, et innotuisse cum bellum illud gerebatur 144). Nostris

142) Brencmanni Hist. Pand. I. 6.

143) Brencman l. c. I. 7.

144) cf. Brencmannus l. c. I. 2. Mira quaedam excogitavit de inventione libri huius idem auctor l. c. I. 8.

temporibus asservatur Florentiae, unde nomen *Pandectarum Florentinarum.*

Qua aetate autem scriptus fuerit ille Codex 145) Florentinus, plurimi dissentiunt. Nonnulli dicunt, esse authenticum et quidem Codicem ab ipso Justiniano praesidi cuidam provinciae missum, a quo pervenerit Amalphi, dein Pisas et postea Florentiam. 146) Nonnulli vero, non deprehendi antiquiorem Codicem illo Florentino, adeo quidem ut omnes qui exstant, ex illo transcriptos putent. Sed omnia haec dubia sunt. Nam primo quod jam alii viderant, autographus ille Codex credi non potest, quia in multis locis confuse est scriptus 147) v. c. Pandectar. libro 48. tit. *De bonis damnatorum* et tit. *De Interd. et relegat.* Si itaque in aliis MSCr. libris id non deprehenditur, concedere debemus, alios autographos exstitisse, ex quibus illi fuerunt descripti 148). Praeterea recte alii monuere, non posse omnes MSCrptos libros inde derivari, cum in plurimis eorum meliores lectiones sint, quam in Codice Florentino, et lacunae, quas ibi

145) De forma ejus Brencman l. c. II. 1. Foerster in Savigny's Zeitschrift Tomo II. p. 271. sqq.

146) Brencman l. c. I. 3. 45. 10.

147) De scriptura ejus, notis et siglis, deque librariis et de correctionibus cf. Brencmann l. c. II. 2. sqq.

148) Brencmann l. c. III. 2. 3. Schrader l. c. §. 14.

deprehenderis, in aliis Codicibus sartae inveniantur, adeo recte interpositae, ut nisi credas ipsos JCtos Romanos illis interpolatis verbis loquentes, nullo modo persuadere tibi poteris, quo modo seculo XI. illis barbaricis temporibus fingi potuerint. Interpolationes has videre licet in editione Gebauero Spangenbergiana notante Brencmanno, quarum praecipuae sunt: fr. 38. D. Mandati fr. 7. D. de fundo dotali fr. 39. D. de Legat. II. fr. 27. §. 9. D. ad SCtum Trebell. fr. 4. §. 5. D. de Usurpat. et quod in florentino manuscripto desideratur fr. 211. D. de R. J. Alia argumenta videre licet apud *Schraderum* (Abhandlungen aus dem Civil-Rechte Hannover 1808, in Dissertatione VI. *Ueber eine neue Handausgabe des Justinianeischen Gesetzbuches* §. 14.).

Quod cum ita sit, nihil vetat quo magis affirmemus, cum Bononienses illi professores lectiones Pisanas sive (ut illi loquuntur) *literam Pisanam* aliis lectionibus praeferrent, habuisse libros MSCrptos discrepantes ab hac litera. In editionibus recentioribus, 149) quae ad MSCr. florentinum confectae sunt, memorantur hee lectiones Bononienses, sub nomine *lectionum vulgatarum*, ut distinguantur a *lectione florentina*.

149) De illis et MSCr. qui ad editiones vulgo obvias adhibiti non sunt cf. Schrader l. c. §. 15.

De editionibus 150) nunc agamus.

Antiquissimae editiones ita comparatae exstant, ut nihil prae se ferant, nisi contextum et glossas; sunt autem omnes pro majori parte accurate impressae. Vestigia propositae methodi sequentes, ordimur a *Codice*. Hunc serius quam Institutiones et Digesta editum, et a Glossatoribus commentatum esse scimus. Optime de hac re meruit Azo, cujus duo libri Codicem illustrantes exstant; 1, Summa Codicis 2, Commentarius sive magnus Apparatus in Codicem 151). Veteres editiones Codicis non complectuntur quam IX. libros. Seculo XV. imprimi coeperunt editiones omnes XII. libros continentes. Antiquissimae earum cum anno sunt, 1475 Moguntiae, in f. et 1530 Norimbergae in f. et quidem cum Commentario Azonis. Ex recentioribus Contius et Russardus Galli, quibus accedit Haloander Germanus, (1530 in f. Norimbergae) optime meruere, de edendo et restituendo Codice. Editiones Contii sunt praecipuae Parisiis anno 1559 in f. Tomis V. Ibid. 1562 in 8. sine glossa Ibidem 1566 in f. cum glossa. Lugduni 1571 in 16. sine glossa, Paris. 1576 in f. cum glossa.

150) Brencmann l. c. III. 4. De MSCr. quibus usus est cf. l. c. III. 5. Schrader l. c. §. 14. 15. 16. 17.

151) Hugo Lehrbuch des R. Rechts seit Iustinian §. 221. Berlin 1818.

De Reliquis videatur Schrader l. c. §. 22. sqq. §. 24. 27. Cramerus in praefat ad Exegesin tit. Codicis et Pandectarum de V. S. Idem auctor multa lectu digna, tam de genere dicendi constitutionum Imperialium, quam de editoribus Codicis exposuit in Savigny's Zeitschrift etc. Tomo II. p. 289. sqq.

Transeamus nunc ad *Digesta.*

Antiquissimae editiones Digestorum vel Pandectarum quae sine anno deprehenduntur 152) ita impressae occurrunt, ut eas Glossatores diviserunt. Primus fuit *Politianus*, 153) qui hac re occupabatur. Cum ad exemplar florentinum Digesta edere ille cuperet, omnes antiquas editiones quas colligere potuerat, cum florentino MSCr. contulit, Pandectasque edidit Lugduni 1510. Praeter editionem ejus memorabiles sunt Russardi quae anno 1560 1567 Lugduni 154) et Charondae, quae 1575. in f. Antverpiae prodierunt. 155) Apud. Germanos celebris est editio Pandectarum Haloandri, ad normam Politianae editionis formata. 156) Ad ejus et Tau-

152) cujus generis sint Pandectae num masculini num faeminini quaerit Brencmann l. c. III. 6.

153) Brencmann l. c. IV. 1.

154) Hugo l. c. §. 219.

155) Hugo l. c. §. 212.

156) Brencmann l. c. IV. 3. Hugo Geschichte des R. Rechts seit Iustinian §. 167 -- 169.

relii 157) normam (qui 1553 ex MSCr florentino editionem procuravit Florentiae in f. raram nostris temporibus avem), Brenckmannus novam editionem parare coepit, 158) et quoniam putabat parum religiose Taurellium se gessisse in conferendis Pandectis florentinis, laborem hunc retractandum adgressus est; sed quarto anno negotio intentus morte obiit. Gebauerus professor Goettingensis comparavit sibi ejus schedas, 159) atque edendis Digestis sese adcinxit, adsumpto in partes laboris socio collega suo Spangenbergio, qui mortuo Gebauero opus diu molitum et desideratum in Tomos II. divisum in lucem prodire passus est. Quid in paranda hac editione Gebauerus et Spangenbergius egerint, quibus auxiliis fuerint usi, optime quivis cognoscet, qui perlegerit praefationes eorum Tomo primo et secundo laudati Corporis Juris Justin. praefixas. Merito vitio illis tribui puto, quod omiserunt glossas et in conferendis ipsis libris quos ad manus habuere, non religiose versati sint. Quapropter, si vera fateri licet, caremus hucusque editione digna ingeniis JCtor. Romanorum, et, si vera loquor, in aeternum carebimus, cum auxilia quibus in paranda illa adjuvemur, nobis

157) Brencmann l. c. IV. 5. Hugo l. c. §. 188.
158) Brencmann l. c. IV. 6.
159) Hugo Civilist. Magaz. T. III. p. 302.

desint. Optime tamen quis fecerit, si tantum editionem talem comparaverit, qualem haberi cupit Schraderus l. c. 160) Omnes editiones, quae exstant, sunt vel *Florentinae* vel *Haloandrinae*, vel *Vulgatae*, vel *Mixtae*, quales omnes sunt quae ante seculum XV. prodierunt.

Ad Interpretes Digestorum nunc, quorum sunt Glossatores antiquissimi, accedo. Solebant professores Bononienses scribere ad marginem exemplarium suorum *adnotationes* breves, quas, verbo Graeco, *glossas* appellabant. Occurrunt itaque etiam nunc MSCr. libri, cum talibus adnotationibus. Sub finem seculi XIII. extitit *Accursius*, qui adnotationes illas colligere statuit; unde origo *glossae Accursianae.* 161) Commentario illi Accursiano tanta erat auctoritas, ut pragmactici JCti eas captantes, alias vel negligerent, vel in exemplaribus suis delerent, Accursianas in locum earum inscribentes. Utilius foret si illas reliquissent. Glossae Accursianae qualescunque deprehenduntur, tamen, quod loca similia, vulgo *paralellas* dicta citant, magni momenti sunt. Omnes autem explicationes vel historici vel philologici vel antiquarii argumenti sunt reiiciendae, (cf.

160) et in Hugo's Civilist Magaz. T. IV. p. 407. sqq.
161) Hugo l. c. (Lehrbuch der Geschichte des R. Rechts) §. 206.

Hugo l. c. §. 88.). *Editiones* sic dictae *glossatae* omnes fere V. Tomis constant. Cum illis comparari quodammodo possunt adnonationes et *paralellae Godofredianae*, 162) quae tamen (vera dico), multis naevis et vitiis laborant.

Quomodo Pandectas Justinianeas interpretari debeant, 163) plurimi recentiorum haerent. Equidem Digesta ita enucleanda esse censuerim, quo ipse sacratissimus princeps in titulo Codicis (I. 17.) de vetere jure enucleando edixit. Sed cum, (licet hoc abnuisset Justinianus), complures antinomiae in Digestis inveniantur, aliam viam ingredi JCti recentiores, praecipue Gallici, statuerunt. Putarunt, redigenda esse omnia ad methodum chronologicam, ita, ut quod fragmentum posterius tempore apparuerit, praevaleat. Hoc modo egit Cujacius in fragmentis JCti Africani colligendis. Equidem cum Interpretibus ejus generis non consenserim, cum sciam, non posse fragmentum posterius derogare priori, cum Justinianus monuisset, se nolle ut alterum alteri praeferatur et JCti esse omnes nervos intendere ad rem enucleandam, ne ulla antinomia appareat. De interpretatione constitutionum in Codice repetitae praelectionis, hoc monendum est, errare illos qui ex iis argumentum a contrario ducunt,

162) Hugo l. c. §. 273.
163) Schrader l. c. §. 21.

quo-

quoniam ad singulares causas cum sint datae non constituunt novum jus, sed illud quod jam in usu versabatur, ad species propositas traducunt, (cf. Noodt a Bachio l. l. p. 606 citatus). Hucusque nullus Commentarius exstat perpetuus in Pandectas, praeter glossam. Baronii enim opus (*Rationale ad pandectas*) minorem partem digestorum complectitur. Singularia tamen loca interpretati sunt multi, ex quibus praeter laudatum Cujacium, Antonium Fabrum, Donellum et Giphanium, ut taceam recentiores, commendo. Noodtius clarissimus JCtus Batavus Commentarium perpetuum in Pandectas scribere aggressus est, sed solum ad XXV librum absolvit, reliqua, ut dicitur, in MSCr. sunt relicta eaque hodie usque lucem non aspexere. Ejus et aliorum libros compilavit *Glück* in *Erläuterung der Pandekten* de quo libro alii libere loquuti sunt. 164) Reliqua videantur apud Hauboldum l. c. §. 16. p. 17.

Hactenus de Digestis. Superest ut de Institutionibus dicamus.

Quicquid de glossatoribus eorumque laboribus protulimus; possunt referri ad Institutiones. Optimae earum editiones sunt Moguntiae in fol. anno 1569. Haloandrina 1529 in 8. admodum ra-

164) Hugo Civilist. Magazin T. II. p. 96. sqq. p. 199. sqq.

ra. Contiana 1560 et 1567 in 8. Recentissimam editionem procuravit Bienerus Berolini 1812. Quinque Codices Instit. nondum collatos descripsit Dirksen (in Savigny Zeitschrift etc. T. I. p. 350. sqq.). Commentarii optimi in Institutiones laudantur a Hauboldo l. c. §. 16. VIII. p. 16. De Commentario Hoepfneri nihil verbi addo, quoniam eum jam dudum Hugo recensuit in Civilist. Magaz. Tomo I. p. 71. sqq.

IV. Codex repetitae praelectionis.

Brevi conspexit Justinianus quam difficile sit leges condere. Licet enim vetuisset Commentarios scribere in libros quos condi jusserat, licet edixisset se corrigendo veteres JCtos aes cum auro commutavisse, brevi tamen apparuit quam vile fuerit illud aurum ex quo codicem suum conflari curaverat. Cum enim quotidie novas leges cuderet, brevi animadvertit in collectionibus suis constitutiones superfluas et ex posterioribus jam vacuatas (§. 3. const. de Emend. Codicis) esse. Statuit itaque, si quae similes vel contrariae invenirentur ut circumducantur (l. c.) et a proprii Codicis congregatione separentur, ut tam imperfectae repleantur, quam nocte obscuritatis obductae, nova climationis luce detegantur, (d. l.). Hoc non contentus, *quinquaginta decissiones* promul-

gavit 165) quibus maximus antiquarum legum articulus emendaretur et coarctaretur, omneque jus antiquum supervacua prolixitate liberum atque enucleatum in Institutionibus et Digestis foret. (d. c. §. 1.). Hoc itaque modo exstitit *Codex repetitae praelectionis.*

V. Novellae. 166)

Quanquam Justinianus omnia quae supra exposuimus in aeternum valitura voluerat, attamen jam edictum illud de Codice repetitae praelectionis promulgans praedixit, nemini dubium videri debere, si quid in posterum melius inveniretur, et ad constitutionem necessario fuerit redigendum a se constitutum et in aliam congregationem relatum iri, nomine Novellarum Constitutionum praeditum (d. c. §. 4.) De Novellis scripserunt *Weiss*, *Cramerus*, (quos citat Savigny in Zeitschrift etc. Tomo II. p. 102 sqq.) et *Hauboldus* (ibid. Tomo IV. p. 133. sqq.). Scriptae sunt Novellae partim graece, partim latine. Plurimae earum graece scriptae, jussu Imperatorum latine videntur versae, sed multo majorem partem earum interpretati sunt JCti recentiores. In editionibus recentissimis de-

165) Hugo in Civilist. Magaz. V. p. 118. sqq. Silberrad. ad Heineccii Histor. p. 525. sqq.

166) Schrader l. c. §. 28. sqq.

prehenduntur 168 Novellae, quae Justinianeae esse dicuntur, quanquam 159 solum hoc nomen jure sibi vindicant 167). Ex his notae fuerunt medio aevo 97 latinae Novellae, 168) et ne quidem illae omnes glossatae deprehenduntur, licet in antiquissimis tam MSCr. quam impressis libris inveniantur. Reliquae in libris tunc temporis editis desideratae, inventae fuere in libris MSCr. atque editae pro majori parte a Cujacio. Brevi post obitum Justiniani, Antecessor quidam *Julianus* Novellas ejus 125 in epitomen redegit, Haec Epitome Novellarum prius quam illae *Novellae* innotuit, quae ut ab hac epitome distinguerentur, *Authenticae* appellatae sunt 169) Quidam monachus Camaldulensis nomine Ambrosius Traversarius dicitur eas invenisse Mantuae in biblioteca Victorini a Feltro; de qua re cf. Haubold l. c. Hucusque expeditum non est, quo anno iste Julianus vixerit, et quo loco eas Novellas in epitomen redegerit. Editio princeps Novellarum prodiit Romae 1476 in f. et quidem textu latino. Praeditas textu greco et versione latina a se facta edidit Haloander 1531 in f. Norimbergae

167) Cramer in Hugo's Civilist. Magaz. Tom. III. p. 156.
168) Cramer in Hugo's Civilist. Magaz. T. III. p. 53. sqq.
169) Nonnullae quae Fredericorum Germaniae Imperatorum nomine praescribuntur, constitutae sunt ab istis Imperatoribu.

quam editionem Sckrimkerus 1558 in f. Genevae repetiit, additis 23. Novellis, Edictis Justiniani et successorum ejus, antea ineditis. In multis editionibus Corporis Juris Justinianei editae sunt Novellae solo textu latino. Editio Gebauero Spangenbergiana etiam textum Graecum duplicemque versionem Latinam continet cf. Bachius l. l. p. 608. sqq.

Fontes juris sive fragmenta illarum partium Corporis juris Justinianei, varii vario modo laudare solent, nec quo modo id faciant inter se consentiunt. Optima mihi videtur methodus Hugonis (cf. Civilistiches Magazin T. IV. p. 212. sqq.) qua ipsa res et clarior et melior quam fuerat evasit. Recte ille monuit non appellanda esse *fragmenta* JCtor, et *constitutiones* Imperatorum quae in Corpore Juris deprehenduntur *leges*, sed suo proprio nomine, scilicet fragmentorum, et constitutionum vocanda; quod admodum mihi placet. Quis enim verba *Et loco* excerpta ex Commentariis Gaii ad edictum provinciale et rescriptum ab Alexandro Imperatore Maestriano cuidam legem appellabit (fr. 2. D. de incendio, ruina. c. 1. C. de partu pignoris)? Quod tamen observavit Cramerus (in Savigny Zeitschrift. T. II. p. 304. sqq.) opportune prolatum putamus, titulos librorum non solo numero sed ipsis etiam verbis laudandos esse,

quo magis atque magis infigantur memoriae legentium. Multi itaque, praecipue Unterholznerus, verbis tituli numerum ad dere solent, ut tam Hugo quam Cramerus habeant, quo contenti sint. Cur litera *ff.* designentur Digesta, et unde id ortum cf. Hugo Civilist. Magaz. Tomo III. p. 112.

Hactenus de Jurisprudentia Justinianea. Non recensemus enim Novellas quas conditis illis libris promulgaverat Justinianus cum Successoribus suis, cum scrinia Bachii compilare nolimus, ipsique quid addamus ex doctrina nostra, in praesens non habeamus.

De Jurisprudentia Postjustinianea paucis absolvam, motus eadem causa, quam exposui. Occurrunt inprimis *Basilicae*, sive Jus Civile nono post Christum natum saeculo a Basilio Macedone in novum ordinem modumque redactum. Inceptum a patre opus perfecit filius *Leo*, dictus *Philosophus*, circa annum 886. p. Chr. n. Dividitur hoc Corpus juris in sex volumina et in sexaginta libros distribuitur. 170) Collectum est ex versionibus Graecis Institutionum Pandectarum iisdemque variis; nec minus ex Novellis Justiniani ex sententiis SS. Patrum et Conciliis, tandem ex Imperatorum Justinianum secutorum Constitutionibus (cf. Bachius l. c. p. 659.). Pervenerunt integri fere ad no-

170) cf. Hoepfnerus apud Hugonem in Civilist. Magazin T. II. p. 383. sqq.

stram aetatem, et optimam editionem procuravit Carolus Annibal Fabrotti. 171). De Novellis constitutionibus a Leone Philosopho alisque Basilii successorum cf. Bachius l. c. p. 662. sqq.

De JCtis sub Justiniano et post Justinianum degentibus non video cur agam, cum jam alii hanc rem tractarint. Unius tamen *Theophili* vitam paucis persequar. Fuit ille vir illustris, Magister et Antecessor Constantinopolitanus (cf. auctores a Bachio citati p. 627.). Praestantissimum opus ejus sunt Commentarii ad Institutiones Justinianeas, vulgo noti sub nomine *Paraphraseos*, graece scripti. Post Gajum et Ulpianum praecipuus est ille JCtus, qui de jurisprudentia vetere et institutis multa quae frustra apud alios quaesieris, tradit. Vapulat tamen saepe a recentioribus et immerito vapulat, quem illi, praecipue Heineccius, si diligentius legissent ab erroribus multis quos commiserunt cavissent. Paraphrasin Theophili in lucem revocavit Viglius Zuichemus, graece, Basileae 1534 in f. latine vertit Jacobus Curtius Lugd. 1581 in 8. Optima editio est Gul. Ott. Reizii Hagae Comit. 1751. Vol. II. in 4. Reizius nova versione omnibusque omnium virorum do-

171) Hoepfner l. c. p. 410. sqq.

ctorum commentariis, animadversionibus, suisque adnotationibus, et XX. Excursibus, hanc editionem ornàvit, (cf. Bachius l. c.).

CAPUT XXX.

Fata jurisprudentiae Romanae post Justinianum usque ad nostram aetatem.

Mortuo Justiniano omnia paulatim ad barbariem illam vergebant, quam (horresco haec animo volvens!) saeculo decimo longe patentem vidimus. Sperare tamen licuit fore tranquilius tempus, quo exculturi essent homines linguam illa barbarie non penitus abolitam, ob sacra religionis Christianae, quae latine celebrabantur. Quae fuerit occasio restaurandae Jurisprudentiae Romanae ante Irnerium, varii varia protulere quos citat Hugo (Lehrbuch der Geschichte des R. Rechts seit Justinian ed. l. p. 67. sqq.). Diximus supra ignorantiam hominum cujusvis ordinis fuisse potiorem causam detrimenti Jurisprudentiae Romanae quam incursiones barbarorum in Imperium Occidentale et Orientale. Nec video quid causae fuerit barbaris illis abolere instituta Romana, cum migrassent in provincias in quibus illa instituta vigebant. Immo hospites illi curabant ea di-

scere cum versandum iis abhinc esset inter homines origine Romanos. Quilibet illo tempore suo utebatur jure, advenae regebantur proprio jure, uxor fiebat particeps juris mariti, omnes vero Clerici jure Romano gaudebant. Tunc temporis in novum quodammodo ordinem redactae sunt Institutiones Juris Justinianei quod recentiores jam *Corpus legum per modum institutionum* (anno 1549) jam *Brachylogum* (anno 1553) appellant. Nec minus *Petri exceptiones* quas (1500 Argentorati primum editas) ad calcem Tomi II. suae Historiae Jurisprudentiae Romanae medio aevo Savigny recudi jussit Heidelbergae 1815.

Florebat tunc ut potuit jurisprudentia Romana; tradebatur enim Romae postea Ravennae et dein Bononiae 172). De hac re plurima protulere Glossatores cf. Hugo (l. c. §. 72. nota 2.) et (quem ille citat) *Sarti* (Hugo l. c. §. 74. nota 1.). Jam olim fuit in hac urbe schola, vel ut appellabatur *Studium in Artibus*, in qua etiam jurisprudentia docebatur. Irnerius quidam origine Germanus, quem illius aetatis homines *lucernam juris* vocabant, celeberrimus in ea fuit, cujus discipuli Bulgarus, Martinus,

172) cf. *glossa* ad rubricam Digesti Infort, „cum Romae esset „studium destructum et Bononiae inoleret, ejus recuperatione „facta Ravennae, cum esset amissum jus, est redditum forte."

Hugo, et Jacobus aeque clarae lucernae putabantur ac magister eorum. Hos Imperator Fredericus Barbarossa ad Roncalias in consilium advocavit, iisque cum in favorem ejus decidissent magna privilegia concessit in Constit. sic dicta *Habita*. Ab eo inde tempore quicunque doctus videri voluit, Jurisprudentiae studebat. Confluebant undique juvenes in urbem Bononiam jurisprudentiae operam daturi, quibus eadem privilegia concedebantur, quae Fredericus in constitutione supra memorata Bononiensibus concesserat. Operae pretium est animadvertere quo modo illa aetate docuerint illi Bononienses Professores jurisprudentiam. Quod ut melius intelligatur paucis praemonendum est de methodo, qua ante Justinianum studebant juvenes juri.

De methodo juris tractandi aetatae Justinianea et ante Justinianea discimus ex Constitut. ejus nobis nota sub nomine *Omnem reipublicae* nonnunquam *Ad antecessores*] appellata, in qua Justinianus octo Professoribus qui Beryti et Constantinopoli docebant „male consuetum „inconsequentiae cursum" obiicit, nec minus increpat quod admodum arrogantes se gerant, licet indocti incultique sint. Praecepit itaque poenam debitam daturos omnes postea proffessores legitimae scientiae qui eandem

artem in omne aevum exercere maluerint. Tempore Justiniani ut etiam olim id obtinebat, docebatur Jurisprudentia methodo exegetica. Primo anno interpretabatur magister discipulis Gaii Institutiones et quidem passim *quasi per saturam* collectas. In secundo prima pars legum eis tradebatur quibusdam certis titulis ab ea exceptis. Itaque et Ulpianus ad Edictum ut suspicatur Hugo (Civilist. Magaz. II. p. 260.). In tertio annno quod ex utroque volumine in secundo anno non erat traditum accipiebant, secundum vicissitudinem utriusque voluminis, et ad sublimissimum Papinianum ejusque responsa iter eis apariebatur; ita tamen ut adhuc *sitientes* ab eis recederent. Quarto anno Pauliana responsa per semetipsos recitabant; et hic erat omnis antiquae prudentiae finis. Justinianus voluit: ut dimidio primi anni hauriant suas Institutiones, in reliquam vero partem prima legum pars, verbo Graeco appellata πρῶτα eis tradatur, nec voluit ut appellarentur vetere tam frivolo quam ridiculo cognomine *Dupondii* sed *Justinianei novi*. In secundo anno vel de Judiciis libros septem, vel de rebus octo, accipere eos sanxit. In anno tertio ut esset tripartita legum singularium dispositio, primo ut proponeretur liber singularis ad hypothecariam formulam; post eundem liber ad edictum Aedilium, de redhibitoria actio-

ne et de evictionibus, nec non duplae stipulatione; atque ut olim obtinuit appellarentur *Papinianistae* ejusque reminiscentes laetificarentur. Anni quarti studiosi appellati λύται decem libros singulares Pauli ut recitarent. Quinto anno legerent constitutiones Codicis et subtiliter eas intelligere studerent. Omnia haec optime explicuit Hugo l. c.

Eadem methodo, licet diverso ordine, explicabantur fontes juris Bononiae. Bartholus narrat solitos esse professores Bononienses intra quatuor annos totum Corpus Juris explicare. Professores illi dividebantur in *Doctores* et *Bachalarios*, hi praelegebant extraordinarie, illi ordinarie et extraordinarie sive publice et privatim, Habebant autem scholas ordinarias gratis, extraordinarias vero mercede accepta. Hoc scimus ex Odofredo qui dicit: se non praelecturum extraordinarie *quod scholares non sint boni pagatores, scire velint omnes, mercedem solvere nemo* (cf. Hugo Geschihte des R. Rechts etc. §. 85.). Studiosi cupientes scholas extraordinarias obire *collectam faciebant*, ei qui non solverat *quater* solum licuit adesse lectioni privatae. Nec minus cedebat professoribus lucro quicquid solutum acceperant a creato Doctore. Accipimus nonnunquam conquestos esse studiosos, quod accepta mercede vel negligenter haberent magistri scholas, vel quod multum sol-

vere tererentur, quoties librum a professore mutuum acciperent. Doctores assidebant magistratui urbis primum locum in curia occupantes. Verba eorum excipiebant calamis studiosi, non legimus tamen dictare solitos fuisse magistros. Digestum vetus et Codex ordinarie explicabantur, idque sufficere ad jurisprudentiam didicendam putavit Odofredus. Praecipui Doctores ab Irnerio usque ad Bartolum (1313) vixere: Martinus Bulgarus, Azo, Accursius, Odofredus, (cf. Hugo l. c. §. 92 —121.).

Brevi divulgata est jurisprudentia Romana per Britanniam, Galliam, Germaniam; 173) nec apud nos ignorabatur, ut infra ostendemus. Ab aetate *Bartoli de Saxoferrato* Caroli IV. coaequalis et Angeli *Politiani* (natus est anno 1454) felicioribus ominibus omnia currere coeperunt. Illis enim temporibus vixit ille nunquam satis laudandus *Cosmas Mediceus*, cui quantum literae debeant, quis nescit? De editione Politiani supra diximus. De meritis ejus exposuit Erasmus Roterodamus (in Emendationibus IV 14.) his verbis: „Quantum ei juris civilis amatores debeamus „non multis compertum est. Ut illa omittam, „animos omnium ab eo excitatos ad juris civilis „instaurationem, *institutionumque Theophili* cum

173) cf. Hugo l. c. §. 118 -- 121.

„primum fuisse praeconem: quidquid Bologninus „et eum meliori ingenio secuti Alciatus et Haloander restituerunt, ex Politiani libris acceptum est." Politianum exceperunt Ulricus Zasius, Alciatus, Sichardus (1499) et Antonius Augustinus (1517); Sigonius (1519), Macchiavelli (1469), et Thomas Morus, qui 1536 misere periit.

Omnes hos superarunt JCti Gallici, tales viri, quales (utinam falsus vates sim!) nunquam futuri. Praecipui sunt: Barnabas Brissonius cujus opus *de verborum significatione* perutile exstat (edit. novissima Halae Magdeburgicae 1783). Duarenus (1509) *Balduinus* (1520) cujus memorabilia sunt verba ad D. Phil. Huraldum Chevernium, Cancellarium regis Poloniae Henrici Valesii, cum Cracoviam invitaretur 174); Contius (1517) cujus opera Merillius 1616 edidit.

174) Hic ea adscribam: Quae mihi consuetudo intercessit cum Legatis Polonis, fecit, ut non modo de nobilissima eorum Legatione agerem, sed et de nostris studiis (non enim nulli inter eos Oratores JCti fuere, in quorum etiam comitatu familiares habui Doctissimos duos viros, quamvis ut leges nostrae loquuntur, Agentes in rebus, Ja. Panetovium (*sic*), et Franc. Maslovium) quippiam responderem: dico de Jurisprudentia, quam tuis Auspiciis doceo in ejus principis, quem illi Regem elegerunt atque requirunt, Andica Academia. Cum autem et illi de sua Cracoviensi magis atque magis excitanda conferrent, dixi, quod sentiebam, *nihil agi nisi si illic quoque personet vox Jurisprudentiae Romanae* etc. (cf. praefat ad disputationes Papinianeae Quaestionis fr. 40 de Reb. Cred.).

Gallici: Brissonius Duarenus Balduinus [illegible]

Hottomanus (1524). Hugo Donellus (1527) cujus Commentarii juris Civilis omniaque opera admodum celebrabantur invito Hugone (l. c. §. 228); opera ejus prodierunt Lucae 1762 — 1768 in f. Cujacius, (1520 vel 1522) omnium JCtor. qui hucusque vixerunt maximus (cf. Hugo l. c. §. 242. et in Civilist. Magaz. Tomo III. p. 190 — 256 et p. 433 — 462). Opera ejus prodierunt Neapoli 1722 in f. *Petrus* Faber (1540), cujus exstant *Semestria*, *Antonius* Faber (1557) scripsit de erroribus Pragmaticorum. *Petrus* Pithoeus et *Franciscus* Pithoeus (1543). Dionysius (1549) et Jacobus Godofredus (1587) Scipio Gentilis (1563). Opera ejus prodiere Neapoli 1616. Leibnitius (1646) celebratur ejus nova methodus discendae docendaeque jurisprudentiae (1667). Noodt (1647). Schulting (1659). Eberhardus Otto (1685). Reitzius (1702). Meermann (1722). Thomasius (1655). Pothier Savigny (1779). (Hugo, Hasse, Thibaut, Unterholzer, Goeschen, Schrader, Löhr, Dirksen).

De fatis Jurisprudentiae Romanae apud nos disputarunt nuper duumviri doctissimi. *Czackius* 175) et *Joan. Vinc. Bandtkie* 176) quorum al-

175) O zasadzie Praw Polskich §. 39. p. 91. o prawie Litewskim i Polskim T. I. p. 31. Rozprawa, czyli prawo Rzymskie iest zasadą Polskiego? p. 79.

176) Vindiciae Juris Romani Justinianei Vratisl. 1808 Roz-

ter cum auctoritatem juri Romano apud majores nostros plane abnegaret, alter vero contrarium contenderet, exstitit vir celeberrimus Josephus Maximilianus Comes *Ossoliński*, qui ita opiniones utrius auctoris conciliavit, ut eo judice ex illo certamine uterque victor evaderat 177). Priusquam viderimus quomodo hanc litem deciderit, de studio juris Romani apud nos, paucis persequamur.

Jus Romanum apud majores nostros non solum notum fuisse sed etiam valuisse, atque ad normam ejus plurima in legibus et costitutionibus nostris transformata esse dubio caret. Plurima documenta huic rei probandae idonea protulit illustr. Ossoliński 178). Non deerant apud nos viri qui praestantiam juris Romani viderint. Dlugossus enim (vulgo Longinus dictus) verba sibi deesse dicebat quibus praedicaret sapientiam JCtorum Romanorum 179) et Joannes Ostrorog vir senatorius „meliora jura quam „sint Romana excogitari non posse" saepe ajebat. Alexander Jagellonides cum post fratrem suum Adalbertum regnum occupasset, atque ne-

prawa II. w zbiorze Rozpraw o przedmiotach prawa Polskiego w Warszawie i Wilnie 1812.

177) Wiadomości historiczno-krytyczne do dzieiów Literatury Polskiéy Tom II. p. 347 w Krakowie 1819.

178) l. c. p. 327.

179) cf. Czacki apud Ossolińskium l. c. p. 328.

ces-

cessarium vidisset colligere leges mores et consuetudines, id perficiendum Joanni Lascio regni Poloniae Cancellario commisit. Sed ille, ut ita dicam, novus Tribonianus neque ingenio neque eruditione par fuit illi amico Justiniani. Quod ipse fatetur his verbis ad Senatum post confectum opus demandatum habitis: „Novisti „me non inter codices legum, sed inter aulas „Regum fuisse ab ineunte aetate versatum, „constitutionum legalium praecepta parum cal- „lentem." Ad calcem codicis illius a Lascio conditi invenitur liber dictus *Summa utriusque Juris Raymundi Parthenopei*, de quo nuper disseruit vir optime de me meritus, *cui plus quam parenti debeo*, Georgius Samuel Bandtkie. Est hic liber compilatio Juris Romani ejusque cum jure Polonico comparatio, quem in subsidium adhiberi praecepit Alexander Rex.

Jam ex his videre licet, non ignotum fuisse jus Romanum majoribus nostris. Praeter illa argumenta adsunt alia. Apud Cadlubconem (qui ante annum 1207 post Chr. natum vixit) Mathias quidam (ut recte suspicatur clariss. Ossoliński discipulus Jrnerii) Episcopus Cracoviensis meminit Digestorum, Codicis, Institutionum, et Novellarum. Idem auctor hoc ipsum narrat de tribus aliis Polonis, qui Bononiae operam Jurisprudentiae na-

vabant 180). Inaugurata Universitate literaria Cracoviensi a Casimiro Magno, tres Doctores legum qui Jurisprudentiam in ea profiterentur, ab eodem adsciti sunt, 178) quorum opera usus est rex in condendo Statuto suo Wisliciae. Maxime foveri coepit Jurisprudentia, cum Petrus Maureus Royzius Hispanus Jurisconsultus, nonnunquam Celtiber, nonnunquam Alcagnicensis ab urbe patria ita dictus, Alciati discipulus, Antonini Augustini familiaris, 179) invitatus venit in Poloniam; qui tamen, cum neque modum neque tempus respiciens, nostras leges contemneret, plurimos adversarios inter nobiles invenit, timentes, ne Poloni reges, ut olim Fredericus Barbarossa, ex lege Regia privilegia Imperatorum Romanorum sibi vindicarent. Ab iis Stanislaus Orzechowski, ut videtur, incitatus, his in Royzium invectus est, a probris non tem-

180) l. c. p. 337.

181) cf. Erectio Studii generalis Cracoviensis an. 1364. §. XXIX. Item nunc salariamus sedes infra scriptas, videlicet: Sedem *Decretorum* de quadraginta Marcis argenti annuatim, Sedem *Decretalium* de totidem; Sedem Sexti Clementinarum de viginti Marcis. Item providemus Legenti *Legum Codicem*, de quadraginta Marcis argenti, legenti *Infortiatum* de totidem, et legenti *Volumen* de viginti Marcis; pro anno sequenti similiter juxta consuetudinem Studii legalis, Legentibus *Digestum vetus* et *novum* cuilibet ipsorum de quadraginta Marcis providemus.

182) Ossoliński l. c. p. 155. sqq.

perans: „Vestrae libertatis, equites, Vestrae di-
„gnitatis, Vestrae majestatis sunt illae leges quae
„in Polonia sola regnant, ac ex aequo vobis
„et Sigismundo Regi Vestro imperant. Ne-
„que enim solutus est Rex legibus apud vos;
„non quod illi utile, id justum vobis; non quod
„lubet, illi licet: Romanae servitutis sunt ista
„carmina, quae laudat nemo, nisi servus sit,
„aut Italus, qui quidem, ut certius servi-
„ret, scholas etiam sibi (si Diis placet) con-
„dit, Doctoresque legum facit, a quibus nihil
„nisi servire disceret, qui Doctores inquam Le-
„gum istarum servilium transcensis Alpibus ve-
„nerunt etiam cum talibus praeceptis ad vos:
„quos hic passim jam vagari videtis, cum hoc
„isto Diis irato supercilio ac pessimo libertatis
„vestrae exemplo 183)." Nugatoria haec sunt
mi Orzechowski; nullus timor inde invadere
nobiles debuit. Ipse enim Royzius, in Dedicat.
Decisionum Lith. Regi Sigismundo, dicit: „Si Po-
„lonis tuis, te auctore, totius prope Europae
„exemplo permotis in mentem aliquando tan-
„dem veniat, ut cum suis deficiuntur, illis (Ro-
„manis) utantur, nihil quidquam mea sententia
„peccabitur. Haec disputatio ad eas leges per-
„tinet, quibus suorum Regum latione acceptis
„equestris ordinis homines in Polonia, ditione

183) apud Pistorium T. III. p. 47.

„tua vivunt: ad alterum vero jus, quod attinet, „id est Teutonicum, partim Saxonicum partim „Magdeburgense, quo omnes tuae ditionis civi- „tates, Prussiaque ipsa tota, non postrema Po- „lonici Regni portio utitur: negare non possu- „mus, Romani juris scientiam esse pernecessa- „riam, id quippe cum illud quod proprium ha- „bent, sive Saxonicum sive Magdeburgense mi- „nus plenum est, tanquam commune usurpant, „litigatoribusque reddunt." Ex quibus ejus verbis luculenter adparet, valorem habuisse apud nos jus Romanum in *urbibus*, non obstrinxisse vero *nobilitatem*; et ita litem illam inter Czackium et Bandtkium motam, Ossoliński diremit.

Haec sunt quae de statu Jurisprudentiae Romanae apud Majores nostros colligere in praesens potui. Res ipsa et gravis et utilis videtur, ut aliquis celeberrimum Savigny aemulatus critice hanc rem persequatur, eaque colligere studeat quae ad Jurisprudentiam Romanam illis temporibus florentem facere videantur. Hoc si quis fecerit, foret ut opus Savignii ex omnibus partibus absolutum evaserit, neque conquereris desiderari in illo statum Jurisprudentiae Romanae in Polonia descriptum. Quae de statu Jurisprudentiae saeculo XVII. et XVIII apud nos scimus, potius defleri quam defendi possunt. O utinam tandem aliquando

somno expergefacti studere velimus masculae illi Jurisprudentiae, quae sola ingenium nutrit et illustrat; ne nimius quam decet Juri Naturali obtemperantes, periculum incurramus, a quo ut caveant homines ille (si Diis placet) Juris Naturalis lucerna Zeillerus, summopere hortatur. 184)

184) Vorbereitung zur neuesten Oesterreichischen Gesetzkunde Wien und Triest. Tomo I. p. 38. *Da nun aber auf dem philosophischen Gebiete jedermann nach seiner Ueberzeugung urtheilet; so ist leicht zu erachten, dass die Urtheile oft nach einer eingebildeten Billigkeit* (aequitas cerebrina) *und im Grunde nach Willkühr, gefällt werden.*

SC^a sub Augusto — § III

N. Silanianum — p. 115.
— Anonymianum —
Sub { N. Libonianum — [illegible]
Tiberio { N. Persicianum — 25 a. [illegible]

Sub Claud

N. Largianum — 10 Sertiz[illegible]
— Claudianum — [illegible]
— [illegible]
— N. Claud — et mulier ingenua [illegible]
Iuss to [illegible] —

N. Velleyanum de intercession mulier[illegible]
N. Macedonianum — 118 pag
N. Claudii Imp

Sub | Trebellianum
Nerone | [illegible]
| Neronianum

Sub Vespasiano | N. Pegasianum
Sub Hadriano } p. 120.
Sub Antonino pio
N. Tertullianum —
Sub [illegible] Orphitianum —